EPISTOLÆ JOANNIS RAVISII TEXTORIS, NONI vulgaris eruditionis:

NVNC RECENS, IN GRATIAM studiosæ juventutis multò quàm antehac unquam emendatiores in lucem editæ.

CANTABRIGIÆ,
Ex Academiæ celeberrimæ Typographeo.
MDCXXXII.

£50.

Cup. 403. l. 27.

quadras

quadras

AD LECTOREM TEXTORIS, IN BONIS *literis Alumnus.*

MVm certò viderem, Lector amice, non defuturos otiosæ garrulitatis & qualitatis importunæ homines, qui Textori viro clarissimo vitio verterent, quòd has epistolas emisisset in lucem (Sumus enim naturâ ad maledicendum proni) putavi mea interesse, nec interesse tantùm, at oportere, ut hanc refellendæ calumniæ provinciam, etsi non æquam viribus, humeris tamen meis imponerem, quanquam ex Phavorini philosophi sententia animo dubitabam, turpius esse frigidè & exiguè quenquam laudare, aut eum à nota eximere, quàm insectanter & graviter vituperare. Primum omnium velim scias, quod facilè (puto) tibi persuadebis, non in hoc scriptas has esse Epistolas, ut ederentur: tum quòd neque ab authore elaboratas, neque exquisitè contemptéve tornatas expertus viderem, tum etiam quòd non ignoraret vir ille multiferus, non eodem scribendum esse stylo crudis & immaturis adhuc ingeniis, quo fœcundis & fœliciſſimis: sequutus hac in re optimam vivendi ducem naturam, quæ citra omnem exceptionem, nunquam nisi ex rudibus & adhuc imperfectis ad eli-

matiora consurgit. Exemplo erunt Aviculæ, priùs in certo quodam alarum remigio per dumeta, pérque spinas volitantes, quàm eleganti illa & frequenti corporis agitatione sese in altum aëra elevent. Vt enim non est credibile, tenellum adhuc stomachum durissima & amara quæque digerere, cui vel mollicula omnia, & planè mellita vomitum provocant, pariúntque fastidium: ita sanè non est verisimile, ut hi majoribus non succumbant oneribus, qui permodico fatiscunt, rudes adhuc & elementarii. Cæterùm, lector benevole, si quid non satis tersum aut politum occurrat, tuæ erit prudentiæ, partim necessitati, partim etiam juvenum in scribendo incuriæ atque adeò ignorantiæ, non authoris culpæ (quæ nulla est) id totum adscribere. Bene vale, & tuum ac meum Textorem votivas preces Deo oblaturus in memoriam revoca.

DISTICHON.

Quid graphiis limáve opus est? exporrige frontem
Nil tibi cum larvis hic, pie lector, erit.

JOANNIS

JOANNIS RAVISII TEXTORIS NIVERNENSIS EPISTOLA PRIMA.

HAbui jam pridem in votis, mutuis te verbis convenire, & paucis admodum, quæ in rem tuam sint, amicorum precibus hortari. Cœnabamus pridie hujus diei domi meæ ego & aliquot amicorum tuorũ, qui te à parvulo semper sibi demeruerunt. Inter cœnandum cùm variis de rebus unà loqueremur, accessit insperatus nescio quis nuncius, tuus (ut dicebat) familiaris. Protinus (ut liberorum curiosi sunt parentes) mater tua percuncta ri cœpit, quomodo esset filio suo, quàm prosperè valeret, quidnam in literis profecisset? Respondit ille: bene quidem tibi esse, téque parentum monitis ubique semper acquievisse, præterquàm quòd literarum studia non amavisses. Quod ubi accepit pauperrima illa muliercula, miserum me, quantum indoluit! Verba mea apud te fidem non caperent, si ejusdem de tua hac negligentia querimonias tibi aperirem. Indoluit siquidem vehementiùs, quàm ut credi valeat. Tu ore, si hactenus dementaveris, nunc resipiscas, & ad literas animum convertas. Si enim tuâ semper negligentiâ Epimenidis (quod aiunt) somnum i dormires, esses ei causa mortis, quæ tibi fuit vitæ. Vale.

Epistola II.

Amicorum tuorum permulti satis aegrè tulerunt, quòd quotidianis penè convitiis tui te honestis jampridem monuerint: neque tamen assiduis eorum clamoribus locum reliqueris? Volebant, & ità sperabant futurum, opera tua, quæ jam diu cum blattis ac tineis rixantur, in lucem emitti: cùm ut ex ea editione aliquid tibi laudis accederet; tum etiam, ut indè fructum caperent studiosi adolescentes. Quam quæso, jacturam faceres, si nostris omnium votis respondêres? Existimásne parentibus esse permolestum, repulsam à te pati, à quo omnia sibi promittebant? Non sum adeò imprudens rerum, ut non facilè videam nihil non maturum & concoctum curiosis hominum judiciis committi oportere. Quinetiam summorum quoque scriptorum opera & labores criticis lectorum unguibus & lituris plerunque vapulant. Nihilominus cùm multos annos tu (hoc est, homo doctissimus) vigilias tuas ad unguem elimaveris? securè (meâ quidem sententiâ) potes parere, quod jampridem parturis. Ego enim te extra omnem liturarum, & obeliscorum aleam esse dijudico: neque jacturam ullam indè futuram video, præterquam quod docilem tibi juventutem demereberis, & amicorum precibus satis facies: quibus si non pareas, quamdiu certè vives, tamdiu malè audies. Vale.

Epistola III.

Pudet me nostri hujus seculi, quo jam ea inolevit consuetudo, ut si quis vel proletarius, vel semidoctus

ctus opus aliquod rudi (quod aiunt) Minervâ compegerit magis, quàm fabrefecerit: dignum ſtatim exiſtimemus, quod nihil non vellicantibus hominum judiciis committatur, quodque lecturiant omnes, & empturiant. Quaſi verò non eſſet nobis compertum, nil eſſe uſque adeò elimatum, quod non interdum lectorum unguibus & graphis expungatur ſeveriſſimis. Quorſum verò hæc roget aliquis? Hortabaris me paucis ab hinc diebus, ut ego frivolas quaſdam nugas, à me tumultuario, & interrupto plerumq; ſtudio congeſtas, curarem imprimendas: quinetiam me ſtultitiæ arguere videbaris, quòd tamdiu hoc ipſum facere ſuperſediſſem. Nec tu ipſe multum deliras, qui Horatii non perpendis conſilium, monentis, nè præcipitetur editio, nonumque prematur in annum. An verò non vides pleroſque primâ in dicendo celebritatis viros, deletiles Cenſorum ſpongias pertuliſſe? Si ergò has mei laboris primitias eventilarem, quid inde futurum diceres, cùm nihil dum commentatione dignum ſcripſerim, nihil, quod marcentis lectoris ſtomachum non magis ad ſomnum provocet, quàm ad amplius legendum everberet? Quicquid habeo, parentibus refero acceptum: magis tamen nitar honori meo conſulere, quàm incautis eorum judiciis temerè aſſentiri. Vale.

EPISTOLA IIII.

CUm propter voluptates eò tui te parentes miſerunt, quò ſolent, qui bonas amant diſciplinas: da operam, quæſo, ut eam, quam de te ceperint omnes,

omnes, non fallas opinionem. Dicebam novissimis, quas ad te dedi, literis, quantùm matri tuæ doluisset, quòd accepisset, te parum adhuc, aut nihil omnino in bonis literis promovisse. Esses malignæ conditionis, si amicorum (qui tibi honesta & profutura consulunt) precibus nihil condonares. Tuum est nobis obedire, ut nostrum, te hortari. Aliquidne tibi suademus, quod facto non sit utile? Nos si nescis, tua, non nostræ utilitatis satagimus. Negligentiam tuam & inertiam susque deque ferremus, nisi eam sciremus tibi futuram detrimento. Fac ergò quod monemus, & prosperè tecum agetur. Si enim feceris, omnia ex animi sententia abundè tibi suppeditabimus. Vale.

Epistola V.

Cum certò videas ad nullius rei summam, nisi præcedētibus initiis perveniri posse: miror maximè quòd minores disciplinas, (sine quibus tamen non est majoribus locus) adeò spreveris, ut earum studio tibi omnino interdixeris. An quia procul ab ostentatione posita sunt, inutiles propterea, & infrugiferæ tibi videntur? Usu venit, ut qui minoribus primùm elementis exerceri vel recusant, vel erubescunt: in his quæ sublimiora sunt, infirmum ingenii sui captum præbeant, & experiantur. Neque enim credibile est firmum fore ædificium, quod invalidis ruinosisq; nititur fundamentis: aut eos magno oneri non succubituros, qui permodicò fatiscunt. Si saperes, altiora non molireris: sed potiùs imitareris avicutas, quæ nidis suis nunquam egrediuntur implumes: neque

priùs

priùs aeri corpuscula committunt, quàm facto primùm periculo, sese idoneas ad volatum didicerint. Vale.

EPISTOLA VI.

EMergunt quotidiè novæ mihi anxietates, quæ animum meum suprà quàm cuiquam credibile sit variè distorquent. Sed nihil est, quod dolorem meum magis adaugeat, quàm cùm turpissimæ tuæ vitæ venit in mentem. Effluxit jam triennium, ex quo sumptu non modico tui te parentes in scholis nutrierunt, tibique omnia ex animi tui sententia abundè suppeditărunt. Fuere tamen receptæ fidei homines plerique, qui paucis abhinc diebus mihi narrărunt, te parum adhuc, aut nihil omnino, in bonis literis promovisse: ita ut tertio quoque vocabulo barbarismum committas. Egeris ut voles: vive tuis legibus: ego te missum faciam: sciveris tamen, rebus tuis pessimè consultum iri, nisi vitam in melius commutaveris.

DISTICHON.

Tot fortunati sine morbo sint tibi menses,
Tempore quot verno parturit hybla favos.

EPISTOLA VII.

NIhili facis, ut audio, amicorum consilia: qui tua tamen student utilitati. Neque laboro, neque gravatè fero: quod verba mea susque déque habeas. Doleo tamen, quòd his non pareas, qui tibi nocere-

cere, non minùs, quàm prodesse valeant. Pessimè, ut video, rebus tuis consuletur, si solitæ semper dementiæ institeris, neque apud amicos culpam deprecabere, nisi eis acquiescas, quibus & animam debes. Vale, & me seriò, non joco loqui existimes. Nam nisi feceris quod moneo, periclitaberis parum tibi frugis accidere. Iterum vale.

Distichon.

Non priùs incurras duri contagia morbi,
Quàm sese immiti copulet agnus lupo.

Epistola VIII.

Si existimarem literas meas aliquid ad stomachum tuum facturas, tibique fore plausibiles; ego te non minùs scribendo satiarem, quàm tuis ipse clamoribus ad hoc agendum me jampridem compulisti. Culpam enim deprecari, aut noxâ me eximere non possem, si repulsam à me patereris: cui te hactenus totum devovisti, quemque tuis semper opibus juvisti, & consiliis. Sed cùm videam eorum nomen periclitari maximè, qui suas ineptias viris saltem eruditis, tuique similibus, non tam legendas, quàm ridendas exponunt, & eventilant: ego infirmitatis meæ deterritus conscientiâ, nugas meas tanti viri judicio non ausim exponere. Nam si scriberem, risum (certò scio) moverent tibi mei barbarismi, & te ab amore mei fortassè diverterent. Quare nostræ vellem deprecationi veniam non deroges. Vale decus literarum.

Di-

DISTICHON.

Sint tibi tot nummi, tot opes, auríque talenta,
Poma quot Alcinoi nobilis hortus alit.

EPISTOLA IX.

EX quo tempore ad bonam frugem te recepisti, caviſtíque ab eorum commercio, quos more pecudum, Veneri & voluptatibus non pudet indulgere: tantam ubique locorum famam tui nominis concitâſti, ut vicatim, compitatímque te prædicent omnes, ac Deum penè faciant. Quòd ſi eo, quo cœpiſti pede perrexeris, certò ſcio, tantam amicis futuram indè lætitiam, ut nè digitum quidem tranſverſum à nominis tui commendatione receſſuri ſint. Pater tuus (nihil comminiſcar) tantam ex ea re cepit voluptatem, ut jam ſe totum tibi devoviſſe, relictíſque omnibus aliis, quos habet, liberis, in tuam unius jurâſſe utilitatem videatur. Quare prudenter, mea quidem ſententiâ, feceris, ſi à ſcopo virtutis non declines. Vale, & rectè monentem ſequere.

EPISTOLA X.

CRedebas, ut opinor, te tuis verbis fore mihi formidoloſum, cum nuper iraſcereris, evomeréſque quicquid in bucoam veniret. Non ſum is qui fulgura ex vitro reformidem, cuique terrori ſint futiles & importunæ, qualibus tunc temporis ſtrepebas, comminationes. Convitia tua nullo me detrimento afficiunt. Si tamen ſolutâ ſemper loquacitate ſtomachum

machum mihi moveris, faciam te tuæ stultitiæ pœnitere: secus enim illatæ tibi injuriæ culpam præstarem: cum tamen rebus tuis perinde ac meis, hactenus semper consuluerim. Vale.

EPISTOLA XI.

NEscio quàm odiosa mihi semper fuerit superba & impudens hominum arrogantia, eorum maximè, qui cùm ex humili & peregrina conditione ad perpinguem conscenderunt, adeò protinus insolescunt, primæque paupertatis obliviscuntur, ut neminem præ se ducant hominem. Cujusmodi morbo quoniam tota laboras cervice, periclitari mihi libuit, possem nécne aliquo velut helleboro contagiosam hanc cerebri tui expurgare dementiam. Qui utinam pressiùs paulò generis tui vilitatẽ examinares, ac reminiscereris, quoties pater tuus ostiatim, domesticatímque stipem emendicavit. Tu pridie quàm huc venisses, ne obolum quidem habebas, unde restim emeres. Nudus eras, tanquam ex matre. Si benignior tecum fortuna luserit, & utramque (quod dicitur) mammam dederit lactandam, debes propterea tantum tibi arrogare, tuoq; indulgere supercilio, ut jam pavonis flabellum, & exuvium leonis præ te feras? Si divitias illas tuæ virtuti magis, quàm fortuito casui adscribis, tota erras via: nam si fortuna ex hominum merîtis opes dispensaret & largiretur: multi certè emendicarent, & inediâ consumerentur, qui bonorum habent myrmecias: multi contrà (in quos novercatur eadem fortuna) opulescerent & drachmæ

grandine

grandine operirẽtur. Quare nosce teipsum & tuorum natalium, qui ortu Nili sunt obscuriores, reminiscere. Vale.

EPISTOLA XII.

NOn desisto literis ferè quotidianis aures tuas onerare, téque hortari, ut verbis antiquariis & inusitatis tibi interdicas. Nihilominus tamen quotiescunque scribis, tota tua oratio obsoletis adeò scatet vocabulis, ut conjectare plerumqne me oporteat, quid sibi velint tua verba. Nescio an inusitatum ejusmodi sermonem gratum cuiquam existimes: sciveris tamen tantum mihi displicere, quantum literatis placet Cicero. Pluris multo facerem protritas & proculcatas dictiones, quàm priscas illas: quæ nec tibi frugem afferunt, nec eruditis voluptatem. Proinde (si me ames) Phavorinum sequare, consulentem, ut verbis utamur præsentibus, & moribus priscis vivamus. Vale.

EPISTOLA XIII.

NUper mihi quidam retulerunt, eò te impudentiæ conscendisse, ut jam non erubescas cum ganeonibus, perditissimisq; patrimoniorum decoctoribus conversari: qui omnia prandiorum gurgitibus absumunt, & abliguriunt. Quod ubi primùm accepi, non potui à lachrymis temperare: adeò me tua calamitatis miseruit. Quid autem de patre tuo loquar? vix certè fidem impetrarem, si verbis vellem consequi quantum se distorqueat, & excruciet.

Miror.

Miror, quòd te non pudeat tuæ immanitatis: qui decrepitum illum morti & capillo vicinum, & jam in Proserpinæ (quod dicitur) peculio annumeratum, sic affligas: qui ab amore tui nunquam nè latum quidem unguem recessisse visus est. Egeris ut voles, nunquam tamen satyras & virulenta linguarum verbera declinabis, quantisper ad bonam frugem te receperis. Vale.

EPISTOLA XIIII.

QVi miseriam sibi fabricant, & asciam cruribus suis illidunt, si forte fortunâ in discrimen aliquod impegerint: non est quod cuiquam irascantur, aut in alios quàm seipsos, acerbitatis suæ virus evomant. Tu ubi satis Veneris & gulæ indulsisti, virtutésque omnes, reclamantibus nequicquam amicis, à te relegasti: eò tandem miseriæ redactus es, ut, quorsum te vertas, aut quem implores, nescias. Quis quæso in culpa? Nonne certatim omnes hoc ipsum prædiximus tibi futurum? Verba nostra contemptui tibi fuerunt & ludibrio. Nunc si tuâ vinis causâ infortunium feras, patienter patere. Vale.

EPISTOLA XV.

INcredibilis me tenet admiratio, quòd crescentibus annis nihilo plus sapias, quàm cùm in pueritibus balbutirès cunabulis. Nemo est adeò delirans animi, quem suæ tandem stultitiæ non pœniteat. Te verò nec piget, nec pudet, rebus tuis etiam pessum euntibus, cunctisque naso te suspendentibus, & poſticâ

ſticâ eludentibus ſannâ, quòd nuc[illegible]ondum reliqueris. Dic quæſo, quonam mo[illegible]nùd parentes ſupervitia rationabere, niſi his ignor[illegible]e tenebris emergas? Fuerat nobis in ſumma vo[illegible]um bene ſemper de te mereri, téque nullo non honoris genere proſequi. Videretúrne tibi vacantis operæ, ſi his obedires, qui tuæ ſatagunt utilitatis? Hactenus quantâ maximâ potui benevolentiâ, te monui. Verùm, niſi blandis hujuſmodi verbis animus tuus remolleſcat, præceps in convitia mutabo, tuiſq; (quod dici ſolet) te pingam coloribus. Vale.

EPISTOLA XVI.

NEſcio quid in patrem deliqueris, tamen nudiuſquartus cùm epiſtolam tuam me præſente legeret, viſus eſt mihi frontem caperare. Eſt enim credibile, aut barbariſmum aliquem reperiſſe, aut aliquod aliud ignorantiæ tuæ feciſſe periculum. Da operam quæſo, ut eum in amore tui contineas, ejúſque indignationem exarmes. Quod erit tibi factu facile, ſi quid in bonis literis te profeciſſe viderit. Hæc ego jampridem tacitè & in aurem tibi dixeram: iterum dico, nè poſthac excuſationis veniam fore tibi confidas. Obſervare debes quantum hactenus te dilexerit, cùm nihil unquam tibi deeſſe permiſerit. Niſi feceris quod moneo, peſſimè rebus tuis video conſultum iri: nam præter ludibrium, quæ afficieris, amici tui omnes te deſerent: quod ſi fias, quomodo vives, nullo manum porrigente? Vale.

Epistola XVII.

EO foras, quando rediturus, nescio; quàm citissimè tamen potero, redibo. Commendo tibi rem domesticam. Suffragium meum demereberis, si me absente sine tumultu omnia & citra pulveris jactum sese habeant: ità vivas, ut nihil in te notatu dignum percipiant liberi mei. Habent enim nasum, & hæc propiùs observant quæ deteriora sunt. Si cui flagitio succumbas, reminiscentur, nec te poterunt revereri, quem crimini obnoxium cognoverunt. Quòd si inculpatam tuam vitam perceperint, non solùm mandatis tuis assurgent, sed & aspectum reformidabunt. Vale.

Epistola XVIII.

PUerum habeo eleganti formâ, & ingenio facili: quem, quoniam magnâ spem futuræ virtutis pollicetur, studio literarum devovere constitui, & tuæ primùm committere disciplinæ. Siquid sub te profecerit, faciam ut tui te laboris non pœniteat. Si quid fortasse tibi offerat, nolo ut assem quidem, aut eo plus, in muneribus ab illo accipias. Laboribus tuis cumulatè, & largo fœnore satisfaciam, si modò eum talem reddas, qui aliquando suâ doctrinâ amicos omnes ab injuria mortalitatis asserat, & oblivionis. Quod faciet, si tantum docendi illum desiderium te teneat, quanto discendi ille trahitur. Vale.

Epi-

EPISTOLA XIX.

NEscio quo pacto alienæ semper calamitatis tenear me commiseratio: quotiescunq; tamen amici mei quid detrimenti capiunt, aut fortunæ flagellis vapulant & confodiuntur, eorum jactura non minùs animum meum everberat, quàm si ipse naufragium facerem, aut meis quoq; rebus pessimè viderem consultum. Propterea cùm videam famam tuam indies periclitari, me oportet (ut dolori satisfaciam, & animus meus conquiescat) rebus tuis manum dare. Omnes magnopere tristamur, quòd perditissimis quibusdam & libidinis compertæ nebulonibus adhæreas, qui neq; Deum timent, neque homines reverentur. Qui si corruptis suis moribus, aliquanto diutius te inebriaverint, jam nullam tui liberandi spem relinques, & actum erit de tuo nomine. Sin eorum vinculis properè te eximas, adhuc morbo tuo mederi poterimus. Et quamvis primi tui mores patri stomachum moverint, tamen velit nolit, ab eo veniam extorquebimus, modò in hisce longius morari desinas, & meam expectationem non destituas. Per me non stabit, quo minus in parentum amorem redeas. Dii faciant, ut nostra hæc exhortatio aliquem tuæ menti relinquat aculeum. Vale, & verborum meorum reminiscere.

EPISTOLA XX.

AMote plusquam capiat humanæ mentis conjectura, Cornelis suavissime, neque est mihi fre-

quentius votum, quàm ut tuæ ſemper voluntati reſpondeat fortuna, & omnia ex animi ſententia conſequare: et ſi ſcirem operâ meâ tibi eſſe opus, accommodarem me tuis rebus, vel uſque ad aras. Quum tamen venit in mentem caneſcentis illius & decrepiti parentis tui, quem non ſine nota & poſtica multorum ſanna turpiſſimè reliquiſti, nequeo mihi temperare, quo minùs ingratitudini tuæ iraſcar, vel (ut verius dicam) impietati. Quid enim inhumanius debet dici, quàm ſi trementem ſenio, & morbis affectum parentem filius gravatim videat, nedum non adjuvet, quum ratione carentibus brutis modicisq; animantibus hoc ipſum ſit odioſum? Ciconiæ genitricum ſenectam invicem educant. Glires genitores ſuos feſſos ſenectâ, alunt inſigni pietate. Quid autem hæc teſtimonia exemplis propono domeſticis ac vernaculis? Canes ipſi alumnos ſuâ morte tutantur ſæpenumero: à quibus tamen nil præter viliſſimam ſtipem (utpote modica panis, idque hordeacei, fragmenta) ſuſcipiunt. Neque moveris, tuam ipſius naturam videri brutis deteriorem? Quis hoc non execretur? Quis temperet invectivis? Pater tuus aſſiduè languet. Nullâ non horâ laborat morbo, & capris ipſis (quod aiunt) eſt febriculoſior: neque tamen morienti dextram porrigis. Dii immortales, ut jam exulat probitas! ut peſſum iêre boni mores, quum jam natos nihil parentum miſereat! Dic bonâ fide, ſi nunc epularis lautè, ſi abundè rerum omnium tibi ſuppetit, id ipſum cui acceptum referri convenit, niſi patri, cui vitam ipſam debes etiamnum? Meditariſne impudentiſſime,

me, quid de te vicatim prædicetur, aut quanto tibi crimini vertatur, cùm nitidâ & bene curatâ cute ac probè saginato corpore incedis ampullosus, patre tuo jam semimortuo? Mortuam Murænam flevit Hortensius orator multos dies atratus: tu patris morientis non miserebere? O mala tempora! O perditam ætatem! Velim, nolim, taceam oportet. Plura enim dicere non permittit animi ægritudo. Superest tantùm, ut resipiscas, aut non ægrè feras, si ab amore tui recessero. Vale.

EPISTOLA XXI.

QUàm bene decipiuntur, qui domus vestræ ruinam sperant propediem tuâ virtute restauratum iri, quum tu (cujus interest assiduo labore lucrum venari, & domesticarum rerum satagere) non solùm nihil acquiras, sed & jam parta devores, ludísque & conviviis omnia absorbeas, quæ pertinaci & improbo sudore parentes tui collegerunt. Hæccine est illa tui expectatio? Sic amicorum opinioni respondes? Nescis (me miserum) nescis, quàm gravem tibi tuisque facias plagam. Pigritare quamdiu voles, porrectísque (quod aiunt) pedibus, & in utramvis aurem quiescas: timeo tamen, nè ubi diuturnum stultitiæ tuæ somnum indormiveris, ad resipiscendum serò consurgas & expergiscare. Demum si casu aliquo infortunium facas, & novercam tibi Nemesim experiare, quis cachinnis temperabit? quis te naso non suspĕdet? quis de te otiosâ garrulitate non fabulabitur? Scio verba mea nullum menti

tuę aculeum relictura, nè tamen cauſeris, tua te utilitatis nunquam monitum fuiſſe: neu jacturam tuam cuiquam impropries, & impingas, docere volui, per me non ſtetiſſe, quo minus bene & prudenter vixeris. Vale, & deſertam omni ornatu ac verborum lautitiâ epiſtolam boni conſulas.

Epistola XXII.

Mirum non debet videri, ſi noſtræ ætatis liberi ab omni morum honeſtate receſſerint, & velut imprudentes, ac inverecundi ganeones unicuiq; jam virtuti dixerint extremum vale. Neque enim fieri poteſt, quin cùm à nobis infantuli, & ab ipſis quidem ſemper aſtris corruptelam & improbitatem imbiberunt, adulti quoque tenaciſſimè retineant. Nos, authore Fabio (cùm adhuc repunt) infantiam deliciis ſolvimus: gaudemus, ſi quid turpe & impudicum dixerint: verba nè abjectiſſimis quidem porcariis, aut mulionibus permittenda, riſu & oſculo excipimus: aut (quod turpius eſt multo) aliis dicenda in aurem ſuſurramus. Quid, hac innutriti contagione, ubi adoleverint, flagitiis non experientur? qui priuſquam hiſcere, aut rectè proloqui poſſint, turpiſſimis & impurgabilibus maculis jam ſe totos & aurium tenus immerſerunt, voluptatúmque delicias concitaverunt, priuſquam quid eſſet voluptas, agnoſcerent. Denum quam illis mercedem rependent, à quibus licenter adeò & molliter ſunt enutriti? Eos, ut ſuæ turpitudinis authores arguent, & inſimulabunt, nedum eis non aſſurgent. Prudenter

ter quocirca fecerit, cui aliena jactura melioris consilii ſuggeret argumentum.

EPISTOLA XXIII.

QUoniam ego multis audientibus nuper docui, quantum pueris detrimentum afferat mollis illa educatio, quam Indulgentiam dicimus, efflagitâſti, ut aliquanto uberiùs tibi aperiam, quibuſnam inſtitutis & moribus liberos tuos formare debeas. Quod (quamvìs ægrè feram ſtudia mea quibuſcunque negotiis interpellari) facere tamen non recuſabo, nè nihil omnino amicitiæ noſtræ videar condonâſſe. In primis, quod ad mores ſpectat, cave nè corruptis juvenibus adhæreant, qui pernoctant in alea, dies integros compotant & laſciviunt. Nam ſi hujuſmodi maculas ab infantia contraherent, nihil eſſet de futura probitate ſperandum. Compara tibi præceptorem ſanctiſſimum, cujus ſanctitas teneriores ab injuria tueatur, provectiores à licentia deterreat gravitas. Neque enim, ſi me audis, eorum doctrinæ magìs, quàm moribus conſulas: abſit enim ſtudiis magìs, quàm virtuti ſcholas prodeſſe. Secus enim bene vivendi ratio potiùs eſſet eligenda, quàm vel optimè dicendi. Laboribus paulatim ſunt aſſuefaciendi: non tamen pondere, cui ſupereſſe nequeant, opprimendi. Si delinquant, ſi mendacii convincantur, ſi jugum detrectent, ſi vel tantillum quidem remurmurent aut muginentur, acerrimè vapulent: neque priùs parcatur flagellis, aut animadverſioni temperetur, quàm & arrogantia cognoſcatur emollita, &

tranquilliores oleo, aut pepone molliores facti sint. Quòd si verborum lenociniis iram præceptorum velint exarmare, adulabilis eorum sermo omnino dandus est ventis. Ante omnia cavendum puto maximè, nè eorum delictis conniveant, neu consultò dissimulentur errata, ubi palàm sceleris comperti fuerint. Si bene fecerint, laus eorum quandoque non est supprimenda: ut eo velut gloriolæ fumo pellecti, acriùs solitò virtuti dent operam. Importuna redeuntis ad te nuntii festinatio plura scribere non permisit. Vale.

EPISTOLA XXIIII.

SI essem ex eorum numero, qui criminatorias amicorum epistolas cum bile & stomacho excipiunt, nõ paterer tamdiu me tuis literis objurgari: aut enim desidiam meam culpas, aut arrogantiam criminàris, aut in voluptates reclamas. Sed cùm non ignorem, te hoc alioversum facere, quàm ut nomini meo maculam inuras, quicquid scribis, boni consulo: tantum abest, ut aures tuis consiliis velim occludere. Sit vita mea moribus non usquequaque probatis, adhuc tamen dabitur mihi laudi, si probè monenti assurrexero. De his hactenus. Porrò si qua ex tuis illis monumentis sub incudem jam satis revocata maturuerint, fac in lucem prodeant & eventilentur: cùm ut nos pleniore obsequio tibi demerearis, tum etiam ut teipsum ab omni incommodo mortalitatis & oblivionis asseras. Vale.

EPI-

EPISTOLA XXV.

NEscio certè si existimes te operæ pretium facere, aut multum haurire lucri, dum severè adeò, & Stoico velut supercilio vitam meam criminaris. At ut intelligas te nec hilum proficere, ego verba tua nihil penitus duco. Nam cùm tetrici nimiùm censores mihi displiceant, hi omnium maximè, qui se eratis alienis ingerunt Aristarchos, & aliis prædicant bene vivendum, cùm ipsi turpissimè vivant. Si audiveris, me vel minimum peccâsse, exclamas protinus, & nasum non aliter suspendis, quàm si vel parricidii, vel stupri me compertum haberes. Quasi verò mores tui intus & in cute unicuique non essent explorati. Tu bonam ætatis tuæ partem contrivisti ludo; universum ferè patrimonium latrunculis & aleâ prodegisti: nihilominus tamen simulatâ, & quadam vulpinâ sanctitate alienis illatras delictis. Dices non meâ interesse, quid agas observare. Certè non video, cur pluris tuâ referat, mores meos objurgare, quàm me sceleribus tuis irasci. Propterea vel alienam vitam culpare desinas, aut ipse ducas inculpatam. Secùs tuæ censuræ nec unius assis æstimabuntur. Vale.

EPISTOLA XXVI.

FIeri nequit, ut missum te faciam, nisi priùs culpandi tui argumentum mihi auferas. Si dixeris te culpâ carere, ac nihil commeruisse, dicto citiùs, & sub manum mendacii te convincam. Nuper cùm unà cœnaremus, suaseram tibi, ut relictis quibusdam nugis,

nugis, Græcas amplectereris literas: quòd ab his fluxerint Latinæ, & ad imponendum bonis ſtudiis Colophonem plurimum conducant: & adeò quidem, ut ſine his perfectus dici debeat nemo. Fidem dederas, facturum te quod dixeram. Neque omnino quidem ſtetiſti promiſſis: nam primis elementis dediſti biduum: verùm mutatâ poſt paulò ſententiâ, aliò negotii animum convertiſti, ſolâ (ut credibile eſt) levitate ductus & inconſtantiâ: quæ te Proteo mutabiliorem arguit facilè. Si dicas terrori tibi fuiſſe ejus rei difficultatem, non diffitebor amaras eſſe ſtudiorum radices; verùm hanc moleſtiam dulciſſimorum indè fructuum comes penſat utilitas. Propterea ſi quid loci apud te habent noſtræ exhortationes, eò revertere, unde impudenter deſiluiſti, neque primo labore terrearis: nam quas in portu credis tenebras, tibi poſtea ſole clariùs elucescent. Si annum integrum ſub hoc jugo durare non graveris, nullius poſtea deſiderabis operam. Solus poteris ſine cortice natare. Vale.

EPISTOLA XXVII.

VBi pater tuus ſumptu domeſticæ charybdis rem omnem uſque ad aſſem & pulviſculum prodegit, nè oſtiatim liberos ſtipem oporteret emendicare, coactus eſt omnes mechanicis artibus colligare, præter te unum, quem meo unius beneficio Academicis devovit, eâ expectatione, ut proficeres, & veſtræ omnium conſulares paupertati. Cæcutis plurimùm, ſi non videas, neminem meliùs quàm cum cæteris actum eſſe. Fratrum meorum alter eſt aluiarius, alius lapicida, alius inſtitor,

institor, alius figulus, alius phrygio, alius fullo, alius pegasarius. Omnes quotquot sunt, cum paupertate nocturno diurnóque labore dimicant. Nulli omnium melius, quàm tibi consultum, modò fortunam sequaris ducem, & occasionem nunc capillatam effugere, & calvam fieri non permittas. Si vis evadere in virum magnæ & recondite literaturæ, prius oportet, ut ab ipso statim principio te totum labori devoveas. Ante omnia solida jacias fundamenta, nè corruat quicquid super extruxeris. Nullam de te mihi fruc̃ polliceor, si remissus primùm videreris, & in ipso (quod aiunt) portu impingeres. Cùm te studiorum tenebit satietas, non offendet me aliquantula sudoris remissio: parcè tamen hac tibi indulgeas: nam qui diu nimis ab instituto opere desuescunt & feriantur, otii consuetudinem plerumque induunt. Constitui de te mereri quàm optimè, nec sententiam mutabo, aut calculum reducam, modò spem meam non fefelleris. Dura patere: futurum est enim, ut te laboris tui non pœniteat, cùm satis olei consumpseris. Vale.

Epistola XXVIII.

Vulgò dicitur, eos non facilè emergere, quorum virtus paupertate caligat. Quod adeò verum est, ut paucis admodum pauperibus liceat opulescere, nisi vel utramque fortunæ mammam suxerint, aut prodigiosum aliquid suâ comminiscantur industriâ. Cui infortunio supremum illud accedit malum, quòd ubiq; ferè gentium miseris illudant felices, & scarabeos contemnant aquilæ. Neque tamen propterea

melior tibi conditio desperanda est: nam quamvis hoc seculo sufficiens virtuti merces non exolvatur, neque tamen usq; adeò exularunt literæ, quin quandoque principibus placeant, & familiare scant literati, pinguioremque fortunam sibi ipsi faciant. Quòd si nihil melius tuis unquam votis accesserit, adhuc futurum est, ut te studiorum tuorum non pœniteat: hoc saltem lucrifeceris, quòd scientiâ, & multarum rerum cognitione à brutis differes.

EPISTOLA XXIX.

NVnquam ferè ad me scribis, quin opinionem meam roges, quid de stylo tuo mihi videatur: Sed sanè quid respondeam nihil dum certum habeo, quòd certum, & sui similem scribendi modum non habeas. Nunc enim impensiùs te delectat Laconismus: nunc variâ verborum supellectile orationem locupletas. Nihil tamen (ut verè dicam) adhuc reperi, quod abhorreat à castimonia linguæ Romanæ, neque est ullus, qui sermonis tui puritatem non deoscularetur, nisi quibusdam molestum & grave esset auditu, quòd pleraq; triduo tibi fingas elaborata, in quibus tamen temporis multum & operæ collocâsti. Hac ostentatione si careres, nihil daretur tibi probro: at dum ingenii gratiam studes demereri, otiosam lectorum in te garrulitatem excitas, suscitásque: & facis, ut immodicis nugis obstrepant arrogantiæ tuæ. Quare vide: nè, dum tibi places, multis displiceas. Vale.

EPISTOLA

EPISTOLA XXX.

HActenus aures tuas verbis onerare non deſtiti, ut & torpere deſineres, & tandem aliquando ad virtutes expergiſcereris. Quod te facturũ dejeraveras, ſi vetus tibi condonaretur culpa. Condonata eſt: & puerilem ſtultitiam omnes connivente oculo diſſimulavimus: neque tamen experimur, te factum aliquanto meliorem. Si tui ſceleris te non pudeat, periculum eſt, nè ea mali ſuboriatur conſuetudo, cui, cùm velis, mederi nequeas. Interrupi interim negotia mea, ut honori tuo conſulerem, nec me quidem pigebit hoc feciſſe, modò reſipiſcas tandem, ac dementare deſinas. Sin pergas ſemper facere, ut cœpiſti, finem faciam exhortationibus. Liberum tibi relinquetur, utram ſequaris viam, voluptatíſne, an virtutis. Demum ſi caſu aliquo infortunium feras, aliorum eſto judicium, quis fuerit in culpa. Vale.

EPISTOLA XXXI.

CUm ea ferè ſit omnium natura, ut ſuarum potiùs rerum, quàm alienarum ſatagant: adeò tamen vtilitas tua ſemper mihi fuit cura, ut vix efflux-erit momentum, quo me ceperit tui oblivio. Quare non ægrè feras, aut ab amore tui me receſſiſſe arbitreris, ſi interim vitiis tuis iraſcar. Reclamavi, fateor, quòd illiteratis quibuſdam fabulis tempus contereres. Sed hoc ipſum feci, ut aliud ſtudium complecteris, unde plus frugis aliquanto referres. Et ſi non putarem tibi probatum iri, quæ dico, ſanè miſſum te facerem. Hoc unum tibi perſuadeas, me tui

ſemper

ſemper ſtudioſum fuiſſe, & qui te ardentiùs amet, eſſe neminem: ſed cùm video famam tuam apud verboſas hominum linguas periclitari, tacere nequeo: neque, ſi vellem, permitteret tuæ laudis deſiderium: quo, diſpeream, ſi quid unquam ardentiùs cupiverim. Vale.

EPISTOLA XXXII.

QVatuor ab hinc annos frequentiùs literis te ſalutavimus, neque tamen certiores ſumus facti rerum tuarum. Quid ſit in cauſa, conjectare non poſſumus. Credibile non eſt, tantis te negotiis deſtrictum fuiſſe, ut tanto tempore nullum omnino ſcribendi otium porueris tibi ſuffurari. Aut ergò noſtri te cepit oblivio, aut negligentiæ culpâ non cares. Quàm priùs enim te monuimus, ut non ſolùm ſcriberes, ſed ad nos ipſe revertereris, & matrē capulo vicinam reviſeres. Si venires, amici omnes, quos longa tui fatigat expectatio, animi curas diſcuterent, incolumitati tuæ gratularentur, obviis te manibus excipērent, & longâ ſalutarent præfatione. Meditare, quanto ſpectandi tui deſiderio ardeant omnes. Nullâ non horâ de te loquimur, & vitam nobis acerbam putamus, quòd tandiu conſuetudinis tuæ fructu careamus. Propterea ſi nos amas, fac nobis aliquantulum videndi tui copiam. Vale.

EPISTOLA XXXIII.

LAudabilis mihi videtur Gymnoſophiſtarum conſuetudo, apud quos pueris, qui nihil quotidianæ frugis

frugis afferunt, cibus denegatur. Nec minùs probanda est Amasis regis Ægypti sanctio, qui edicto jussit, ut singuli quotannis apud cujusque præfectura præsidem ratiocinarentur, unde viverent: eisque mors inferretur, qui non facerent. Quod utinam nostro quoq; seculo observaretur: Non tot passim nequam, & nihili reperirentur nebulones, quot ubiq; ferè gentium reperiuntur: quibus nullum est aliud negotium, quàm ut prona & obedientia ventri pecora toto die crapulari, aut aliena insidiari vitæ. Quorum perditos mores quotiescunque memoriâ repeto, videre videor desolatam & multis madentem lachrymis Justitiam, quæ & principum negligentia iraſcatur, & senatum jam sepultum somno, aut conniventem arguat. Et nisi obviam ab omnibus properè eatur, resistatúrque pullulantibus abundè flagitiis, in tantum se propagabit iniquitas, ut nullus sit futurus virtuti locus. Altum erit de bonis moribus, exulabit probitas, & improbitati jus relinquetur sedendi in Orchestra: Proinde Corneli, siquidem me amas, (ut amas) cave nè eorum numero adscribaris, qui naturam sui partus pœnitere faciunt, & antiquissimum illud chaos confusis adhuc elementis appetere. Da operam, ut cùm parentes tui interrogabunt quid profeceris, dignus reperiare qui vivas, & quem ament. Hoc si feceris, neque te pigebit fecisse, neque illos bene de te meruisse. Vale.

EPISTOLA XXXIIII.

NAturâ ferè comparatum est, ut quò quisque major sit doctrinâ, hoc & superbiat magis & supercilium

percilium ſeveriùs contrahat. Nec ſanè mirum. Nam & volucribus quo plures ſunt plumæ, hoc ſublimiùs in auras efferuntur. Et pavones hoc ſeſe mirantur magìs, quo latiùs flabellum proferunt. Sed eſt hominum genus, qui cùm ſint elementarii, & bonas literas nè à limine quidem ſalutârint, ſe tamen omnium primos (ſi diis placet) haberi volunt: feruntque ægrè, quòd non æſtimentur pluris, & quòd quaquaverſum tranſierint, tranſeuntibus non aſſurgatur. Cujuſmodi erat neſcio quis magiſtellus & grammatiſta, qui audiente nuper idiotarum & vetularum turbâ, multis fabulis ſic ſtrepebat immodicè, ut importunis illis cõmentationibus populo eſſet admirationi, & magnam doctrinæ opinionem ſibi mereretur. Huc ergò cùm ejus videndi causâ certatim omnes convolarent, cœpi protinus perçontari, quid illud eſſet: Eodem omnes ore reſponderunt, alterum & mundo redditum Ciceronem. Tunc ego cum reliquis acceſſi ut percontarer, verum eſſet, nécne, quod de nebulone ſibi perſuaſerat vulgus. Sed, dii boni, quàm nihil inveni, cùm acceſſi proximè! Vix orationem proferebat, in qua non tot eſſent barbariſmi, quot dictiones. Cùm ego nugis illis aliquandiu fatigatus pertæduiſſem, temperare mihi non potui, quin eum ſuâ ſede diſturbarem: quod cùm feciſſem, parum abfuit, quin deluſa nugis plebecula in me ſaxis irrueret: tot jam ille fumos vendiderat turbæ, tot veneficiis univerſum excantaverat theatrum. Quod quotieſcunq; memoriâ repeto, non poſſum noſtro ſeculo non iraſci, cui non ſit aliud in doctorum literis diſcrimen. Vale.

EPISTOLA

EPISTOLA XXXV.

PLerumq; mihi doluit, quòd conveniendi tui nulla ſeſe offerret opportunitas. Eram enim neſcio quæ tibi dicturus, in rem tuam magnopere ſpectantia. Paucis ab hinc diebus pater audivit, te voluptatibus irretitum uſque adeò, & illaqueatum, ut jam virtutes omnes aſpernatus fueris, ac æſtimaveris nihili. Vale.

EPISTOLA XXXVI.

ESt genus hominum, quorum utilitati dum conſulitur, ſe præbere gravantur dociles, ità ut videantur habere minus cerebri, quàm cimex ſanguinis. Nihil tibi blandiar, nec oleum (quod dicitur) in auriculam tibi inſtillabo: ſed mihi videris unus ex iis, qui nec ſcelera ſua vellicari, nec viſcera ſibi tangi volunt. Noviſſimè cùm me conſuleres, ad quem vitæ ſcopum arcum intenderes, vetueram te, nè inſectareris aulicos iſtos palpones, qui pellace vulpe benigniores, & in oſtio tantùm formoſi, aureos montes pollicentur, & à tertio uſque jugere manus porrigunt, his tamen ſæpenumero fucum faciunt, à quibus ampliſſima acceperunt munera. Neſcio quâ diluendi tui ſceleris fiduciâ conſilium meum nauci feceris: hoc ipſum tamen eſt tibi maximo malo futurum. Neſcis quàm auſterum ſit inculpatè vivere, ubi probitas & virtus exulant? In aula qui Arabicè olent, & in cute ſunt purpurati, intus ulceribus & leprâ ſcatent. Poſtremo videtúrne à virtute alienum, in multam noctem pergracari, in alea pernoctare, ære alieno obrui, nihil non

inhonestum audire? Et ne multa, nihil est non probrosum. Oportet in primis ab alterius jussu pendêre. Religiosè & ad anxietatem usque observandum est, non tantùm quid verbis jubeat dominus, aut imperet: sed quid nutu significet, aut digito crepet. Alienâ vivendum quadrâ. Bullatis nugis aures sunt prębendæ: unicuique virtuti mittendum repudium. Nihil dicendum est, quod aures tyranni gravet. Si caleat, æstuandum est, si frigeat, tremendum: & plerumq; cùm diuturnam servitutem serviveris, si in ipsius iram impingas ob rem nihili, ob floccos, ob vitiosam nucem te relegabit, perinde ac vilissimum (anopi vernam: nec primorum laborum stipendium extorquere poteris. Jampridem te hujus rei monueram: tamen verba mea nihili feciſti. Si tui infortunii fueris author, æquanimiter feras. Æquum est enim, ut faber quas fecit compedes, ipse gestet. Vale.

Epistola XXXVII.

Moris est mihi, ubicunque locorum vixerim, eorum semper reminiſci, quorum beneficio bonæ literæ, injuriâ temporum priùs sepultæ, reviviſcunt paulatim, & repullulant. Nec sanè mirum. Nam meâ quidem sententiâ non minoris (minoris autem, imò verò longè pluris) æstimãdi sunt, qui linguã Latinã à morte vendicãt, & priſtinæ restituunt dignitati, quàm qui civitatibus amplissimis jugum servitutis excutiunt, redditâ libertate. Sed est hominum genus, qui cùm rudere magìs, quàm loqui noverint, probis eruditorum votis, & conatibus renitantur, timéntq; ne optimæ

optimæ se propagent disciplinæ. In quos si reclamet aliquis, Deus bone, quibus verborum tonitribus fulminabunt, quot plaustra convitiis onusta revoment? Non tantùm non assurgent authoribus renascentis eloquentiæ: sed factâ velut conjuratione in eos certatim confertímque dimicabunt; neque priùs concutere parietes theatrorum, verbisque obtundere desistent, quàm sui similes ad latrandum in laudabiles illos linguæ Latinæ candidatos, & redivivos eloquentiæ Camillos excitaverint. Diceres esse Gotthorum Vandalorumq; reliquias, quæ in Romanam Rempublicã arma parare, resarcire, suísque barbarismis togatum sermonem corrumpere velint. Quare autem velint non video, nisi quòd fortè verentur, ut ne qui suis nugis idiotas priùs eluserunt, & agrestibus imposuerunt ingeniis, redeunte Minervæ principatu ridiculi fiant, & ipsis etiam contemptibiles, quibus priùs fuerant admirationi. Sed longè suâ spe falluntur. Nam si suscitandæ semper eloquentiæ animum adjecerint eruditi, tantúmque operæ, quantũ jam ceperunt, barbaris hujusmodi retrudendis collocaverint: non est mihi dubium, quin pudore deterriti hoc genus Gotthi causâ casuri, ac arenâ cessuri sint, & ad extremum sese impedes daturi. Quòd si suis ineptiis contenti vivierent, neque cæteros hominum eodem cuperent sordere luto, essent quidem ridendi, non tamen tanto odio habendi. Verùm (quod omnium multò turpissimum) cùm nullo non verbo solœcissent, indignanter ferunt, non omnes eâdem infantiâ, iisdémque barbarismis juvenari & ineptire. Et (quod magis rideas) sacras literas eo esse

fato arbitrantur, ut cum his ſtare nequeat regina rerum eloquentia: quaſi Hieronymus, Ambroſius, Lactantius, Athanaſius, & alii plùs ſexcenti barbarè ſemper ſint locuti, aut eloquentiam cum theologia non ità conjunxerint, ut neſcias utri duarum magìs debeas: Quieſcite, quieſcite philoſophaſtri, noſtræ omnium aures veſtris jam deliciis callent. Magno vobis malo futurum eſt, niſi à ſuſcepto in literatas literas bello pedem retuleritis. Nam ut numeroſas Xerxis copias pauciſſimæ Græcorum turmæ pepulerunt: ità & paucula eruditorum centuria infinitas veſtræ gentis Vandalicæ myriades nullo negotio, & victoriâ expugnabunt incruentâ. Ridiculum eſt, quòd publico exclamatis theatro, renaſci hæreſes, Antichriſtos ſurgere, fidem catholicam ruinam minari. Qui (malùm) religionis hoſtes reviviſcunt? hìne, qui ex Græcis ad verbum docent Latina? Quieta erat fides, quis eam commovit? Vos plebeculam in re nihili concitatis, ut eruditis terrori ſitis: monſtra confingitis, quæ nec fuerunt hactenus, nec poſthac ſunt futura: neque eſt quiſquam, cui à ſatyris veſtris ſecuro eſſe liceat, quîque loquacitatis veſtræ retia poſſit declinare, cùm audiente vetularum turbâ ſermocinamini: ceu verò ad ſerendum ocymum ſitis nati, & major quædam maledicendi libertas vobis, quàm cæteris mortalium ſit conceſſa. Quòd ſi quiſquam reluctari ſatagat, aut eâdem tragulâ vos referire, tantiſper illatrabitis, dum rudi vulgo perſuaſeritis, eum vel cervicem matris rupiſſe, vel in patrios minxiſſe cineres. Et (quod pejus odi) neminem putatis dignè,

qui

qui vestra vestigia (si diis placet) lambat & osculetur: quasi vero legitimi sitis naturæ filii, nos spurii tantùm: aut sit aliquid in vobis doctrinæ, quod nemo quisquam sperare audeat. Si eloquentiam creditis viliorem, quàm cui vacari debeat: respondebo, vos similes esse procis Penelopes, qui cùm dominam assequi non possent, ad ancillas divertebant. Vos quoque infirmitatis vestræ conscientiâ deterriti, quoniam ad eloquentiam, ut ad solem noctuæ, caligatis, ad quæstiones quas Fabius Ceratinas vocat, crocodilinósque divertitis syllogismos. Quos tametsi vestrum plerique inutiles fateantur, neminem tamen habendum in pretio putabitis, qui futiles hoc genus nugas nesciverit. Nunc, (nè multis agam) si sapitis, veteris insolentiæ cristas retundite. Secùs, non deerunt, qui tanti fastus pertæsi, acutas sibi sagittas esse, suis vulneribus sanguinem sequi, se domi urbinam habere, (ut vos macharam) doceant, testentúrque non esse defendendam glandem, reperto jam tritico. Vale.

EPISTOLA XXXVIII.

EGo cùm rerum tuarum studiosus, tuique longè amantissimus semper fuerim, nec ullum obsequiosi hominis officium tuâ in re prætermiserim, speravi, imò verò intrepidè mihi sæpenumero pollicitus sum, te mei perpetuò fore memorem; ac si quando novercantis fortuna Boreas mihi insultaret, eum te fore, qui in accepti beneficii hostimentum primus adjutricem manum mihi porrigeres. Sed dii boni, quàm longè mea me fefellit opinio, dum te mei memorem ex-

pectavi, qui tui dememineris: dum inquam te rebus meis adjutorem speravi, qui tuarum plerisque mirantibus, imò verò illudentibus, nunquam satagas: quin omnia quæ multo parentum sudore tibi parta sunt, avidè consumas, & cum flagitiosis hominum corruptissimorum gregibus universum patrimonium stultissimè profundas; & quod longè deterius, & ab humanitate magis alienum videtur, patris defuncti oblivisceare, cujus viventis labor tibi omnia peperit: qui te suavissimè educavit, effusis charitatis habenis amavit, tibique omnia, quæ ad bene & beatè vivendum pertinebant, ubertim semper & ambabus suppeditavit manibus. Cui jam capulo instanti, & (quod dici solet) alterum pedem in cymbâ Charontis habenti, fidem dederas, te annuis parentalibus, ac sacrificiis Deo immolaturum. Quin etiam dum mortui cadaver per sandapilarios efferretur, ejulabas, vociferabaris, & ad ravim usque clamitabas, ità ut pro eo vitam paciscì velle videreris. Nunc autem, ubi fides viventi præstita? ubi simulata pietas cadaveri exhibita? O ingratæ mentis invenem! O perditissimum adolescentem! Nihil sanè jam conqueror, quòd mei dememineris, quem parentis cepit oblivio. Jam quoniam in nequitiâ tuâ ità occalluisti, ut lapideam magis, quàm humanam videaris effigiem indutus, pluribus te verbis hortari desistam. Vive ut lubet, egerisque ut volueris: profundas, perdas, pereas, nihil ad me futurum. Sciveris tamen ex Pittaci sapientis dicto, tales te habiturum liberos, qualem erga parentes te præstiteris. Vale.

EPI-

EPISTOLA XXXIX.

POlitioris literaturæ viri, multáque lectione exerciti, qui de liberis educandis libros ediderunt, benè & doctè mihi instituisse videntur, ut infantibus adhuc vagientibus studiosæ adhiberentur nutrices, quæ eos cibis mollioribus, utpote lacticinus suaviter pascerent, nè si duriusculos ori tenero fortasse inculcassent, flaccidæ adhuc & bullâ fragiliores maxillæ, dentibus immunes non frangerent, aut molliores pepone stomachi non decoquerent. Cautè siquidem observârunt, tenellum corpus vix bene compactum, esculenti paulo asperioris non esse capax. Hunc ritum, qui de erudiendis pueris aliquid reposuere, itidem observari voluerunt, ut videlicet rudibus crudisque ingeniis, quæ sunt veluti tabula rasa, in quâ nihil depictum est, præficerentur viri moribus non minùs, quàm doctrinâ conspicui: qui nutricibus nihilo asperiores, ipsos primis literarum eduliis, ut pote minutulis elementis imbuerent, atque animum virtutibus perinde ac doctrinâ formarent, excolerent: non ignorantes eos arduis oneribus non sufficere, quorum vires modicis etiam rebus succumberent: eos præterea majoribus disciplinis non esse idoneos, qui in ipso vestibulo deficerent. Cognitis demũ elementis liminaribusque literis, grammatices rudimenta studuerunt his inculcanda, quò facilius rationem grammaticam, licet ornatu & cultu immunem, contexerent. Quod ubi facere jam probè scivissent, orationibus partim solutis, partim pedestribus,

lepôrum & venuſtatis ſucco affatim delibutis, componendos voluerunt: ut imitatricis inſtar ſimiæ, alienis inhærerent veſtigiis, quódque ab aliis factum inſpicerent, ipſi facere, aut ſaltem æmulari à tergo & eminus conarentur. Hoc uno motus argumento, quum pridie hujus diei audiiſſem, Petroni charisſime, te ad artis dialecticæ ſtudia remis velíſque aſpirare, non potui, ut utilitatis tuæ ſemper ſtudioſus, quin id deſiderium literis conarer excutere; difficillimum factu ſuſpicatus, te illius ſuccos ebibere, qui aliarum artium parentis rivulos vix bene labellis primoribus deguſtaveris. Nec enim te latet, caduca & fragilia architectorum fore ædificia, quorum debile fundamentum extiterit. Agedum ergò, priuſquam immaturis condeſcendas affectibus, ſagaci examine perpendas, quid tibi ſit utile: neque quicquam pares extruere, priuſquam ſtabili fulcro illud ſolidaveris. Futurúmque dubio procul expecta, te à cunctis artibus longè exulaturum, ſi hanc à te floccifactam proſcripſeris, proſcriptam floccifeceris. Cui enim, per deos immortales, idoneus videberis diſciplinæ, ſi hanc (Grammaticen dico) ignores? Quid ad ſtomachum tuum faciet rivus, cujus fons tibi odioſus fuerit? Eris Iuris Civilis aut Canonici peritus, qui Latinarum dictionum ſenſus ignoraveris? Callebis phyſicas rationes, qui verborum etymologiam neſciveris? Extricabis difficiles ſophiſmatum mæandros, qui apertiſſima quæque explanare nequiveris? Scrutaberis cœleſtes & altiſſimas Aſtrologiæ aut Theologiæ cauſas, qui quæ infima ſunt & pedibus tuis vicina

cina, contemplari neſciveris? Degustabis arborum, herbarum, unguentorum ac radicum ſuccos, cui odioſa fuerit primarum literarum delibatio? Aliorum morbos unguentis aut antidotis repelles, qui tuæ ignorantiæ remedium adhibere neglexeris? Declamabis in Senatu, aut ages in theatris, priuſquam in ſchola loqui didiceris? Aliíſne perſuadebis, qui, quæ tibi prævides utilia, ſuadere nequiveris? Perpende, velim, & in memoriam aliquanti ſper revoca ex majorum annalibus, quàm frugifera, quàm jucunda ſit artium humanitatis lectio, cujus amœnitas, lepos, ſuavitas Italos (à quorum ſcatebris linguæ Latinæ rorem primùm conſtat emanâſſe) ità pellexerit, ut parum gravatè tulerint, cæteras omneis diſciplinas à ſe rejici, & eliminari: ut has obviis ulnis amplecterentur, harum odorem aſſiduis naribus olfacerent, ſaporem linguâ inexplebili deguſtarent, venuſtatem labellis arctiſſimè compactis deoſcularentur. Quotuſquiſque enim Philoſophus aut Sophiſtes in ipſis etiam Italiæ penetralibus comperitur? Quot illîc Medicos, quot Aſtrologiæ peritos, quot Iurisconſultos invenies? Nullos ſanè, aut paucos: Contrà verò poetarûm nominibus civitatum compita ebulliunt. Rhetoribus ac declamatoribus vix theatra ſufficiunt. Grammaticos non capiunt ſcholæ. Hiſtoricorum verbis paſſim locorum compita fulminant. Novus quotidiè Servius nodoſos enodat. Novus aſſiduè Valla muſcoſos emungit: & (ut ſemel dicam quod ſentio) laudanda videtur Italorum Latini ſermonis parentum conſtantia: qui (quòd has artes cæteris jucundiores ſemper cre-

credidêre) ab earum caſtris nunquam defecerint. Legimus oratorum principem provectæ jam ætatis Tullium, Rhodiis præceptoribus ſeſe recoquendum tradidiſſe: quin & eaſdem artes à priſcis Regibus tantopere excultas, ut liberos ſuos præceptorum ferulis ac flagris, perinde ac infimæ ſortis aut conditionis peregrinæ puerculos, ſubmitti voluerint, ipſoſque inſtitutores ampliſſimis plerunque muneribus cumulaverint. Sic Marcus Antonius Imperator Frontoni Philoſopho, quem dicendi præceptorem habuerat, ſtatuam erexit: ſic Scipio Africanus Ennii ſtatuam ſepulchro ſuo imponi, ſic Archelaus Euripidem ſibi convivam adeſſe, ſic Trajanus Romam ingrediens Dionem Pruſium curru ſuo donatum honorari, ſic Ptolemæus Philopater templum Homero dedicari voluerunt. Sic denique (ut à peregrinâ ad domeſticam tranſeamus Hiſtoriam) Clotharius Saragoſillum ludimagiſtrum, quòd Dagoberti filii ſui pædagogus eſſet, Ducatu Aquitanico donavit. Hæc & alia permulta, quæ adduci poſſunt teſtimonia (ut opinor) ſufficiunt, quæ artes humanitatis attentiùs excolendas in animum (niſi lapideus fueris) inducant. Verbis meis igitur acquieſcas velim, qui nihil tibi non utile, non frugiferum conſuiam. Id ubi feceris, meo in te amori, licèt infinitus propè fuerit, plurimum incrementi adjectum periclitabere. Vale.

EPISTOLA XL.

REmame tibi frugiferam, nedum jucundam ſemper factum iri opinatus, ſi parentis inſtar, quod

quod ad animi tui cultum & morum honeſtatem pertineret, dietim tibi legendum, ac pro ſuaviſſimo delibandum eſculento proponerem: ſtatui apud me breviſſimis ſæpenumero codicillis (quoniam id etiam quotidiano penè convitio efflagitabas) quid tibi laudi, quid utilitati futurum; contrà quid honori tuo fuliginem & tenebras inducturum ſit, aperire: quò certiùs meæ in te benevolentiæ, licèt tibi tuis unguiculis notior ſit, periculum adhuc facias. Feciſſe autem operæ pretium videbor, ſi priùs omnes in te vitiorum favillas funditùs extinxero, quàm te ad virtutis ſtudium inflammare ſtudeam: ſi inquam, docti agricolæ inſtar, priùs tribulos, lolium, carduos, & urticas radicitùs extirpavero, quàm purgatiſſimum & purum tritici granum ſulcis immittam. Inter cætera, quæ nomini tuo magnopere officiunt, primas ſibi vendicat ebrietas: quam ideo primùm eliminandam cenſui, quòd ea rationis uſum hominibus excutiat, vitiis omnibus incrementum præſtet, virtutibus ortum & nutrimentum impediat. Hinc eò faciliùs eam claustris tui corporis interdicere ſperavi, imò & mihi ſum pollicitus, quòd non ignores, vinolentiam tabificum multis venenum fuiſſe. Quis enim neſcit, florentiſſimis civitatibus & opulentiſſimis earundem incolis perniciosam & exitialem fuiſſe? Quis neſcit, Troiam multis antè temporibus ineluctabilem, & Martis rabie indomabilem, ſepultis vino Phrygibus captam fuiſſe? Quis ingentes Rutilorum copias à Niſo & Euryalo præter victam jugulatas? Romam à Brenno Senonum duce, obru-

tis

tis Baccho civibus, incendio datam? Fuitne & contagiosa summis etiam Principibus hæc temulentia? quâ authore Antiochus magnus hyeme totâ vino & Venere contritâ profligatus, Olofernes a Judith muliere interemptus, Polyphemus ab Ulysse excæcatus, Deiphobus à Menelao interfectus, Alexander ab Iola pincernâ veneno potatus, Cynaras filiæ incestu contaminatus, Bonosus Imperator à Probo superatus, ac suo sibi laqueo jugulatus: Athamas, Læarchi, Agavæ, Penthei, filiorum sanguine pollutus: Anacreon acino uvæ passæ suffocatus, Lacides philosophus nimio haustu obrutus; Cyanippus à Cyane, Aruntius à Medullinâ, filiabus occisi creduntur. Infinita propè testimonia, quæ inexhausto orationis stylo mihi suppeditantur, in medium evocarem, nisi hæc satis esse arbitrarer, quæ vel temulentiam omnem tibi adimerent, aut saltem aliquâ ex parte refrigerarent. Perpende, velim, & apud te sagaciùs paulò cõtemplare, quid indè veneni pullulet: quanta exhaletur mephytis. Obruti vino sensus hominem gliribus somnolentiorem efficiunt, è gradu mentis dejiciunt, & rectam tollunt de cardine mentem. Resipisce igitur, & ab hoc exitiali veneno linguam revoces: aut si factu tibi videatur difficile, eo prorsus abstine, quod tamdiu tantopere dilexeris, nè saltem scythisses, id est Scytharum morem imitere, qui nectar vel meracissimum Acheloio poculo nunquam diluunt: quin (ut scribebat Androcydes Philosophus ad Alexandrũ) memento, cùm vinum potas, sanguinem te bibiturum: nam cicuta homini venenum est, cicuta vinum: hoc est,

eſt, conſidera, quanta vini vis ſit, ut veneni ſit venenum. Vale. Datum ex ædibus noſtris, pridie Calendas Decembris.

EPISTOLA XLI.

FAcit tua in omneis vel ignotos comitas, nedum in liberos humanitas, pater colendiſſime, ut, quamvis præter hoc corpus, & quicquid in eo eſt, tanta ſemper abs te acceperimus obſequia, plura ſemper dietim appetere non erubeſcamus. Quin etiam ità naturâ comparatum eſſe non ignoramus, ut (authore Virgilio) omnis in Aſcanio chari ſtet cura parentis. Contrà verò liberorum ſpes omnis in parentibus, veluti nautæ refugium in anchora conſtituta permaneat. Audaciores igitur paulò in his, quæ utiliora nobis fore conſpicimus, vel ob id unum facti ſumus, quòd pictorem in excolendis morticini imaginibus, ſimulachris fictilibus, ſenſu & animâ vacuis, non auro, non argento, non denique pretioſiſſimis parcere pigmentis conſpiciamus. Validius igitur argumentum cùm nobis viſum ſit, nec patrem in excolendis ſuis animatis imaginibus debere facultatibus parcere, intrepidè quæ ad ingenii noſtri, nedum corporis cultum pertinent, expoſcimus, te nihil in his, quæ ad ornatum noſtrum ſpectant, pictore tenaciorem expectantes. Nè autem diutius te pendulũ remoremur, lucidiùs quid verba hæc noſtra velint, aperiemus. Defecimus à primo præceptore, quem, dum ruſticaremur, menſæ tuæ convivam adhibuiſti; nunc ſub alio militamus, primæ itidem claſſis præfecto: qui diſcipulo, ſolutâ partim orationis venuſtate, hiſtoriæ partim

floſculis

floſculis expolire ſatagens, Fabium Quintilianum, & Cæſaris commentarios aſſumpſit legendos: nec tamen ita aſſumpſit, quin revocato calculo facilè recantet, ſi alios ad ſtomachum tuum & palatum magis facientes, eidem legendos injunxeris. Hos tamen præcunctis elegit, quod Quintilianum, licèt mendoſum & maculis ſcatentem, ab omnibus laudari; Cæſarem ut hiſtoriæ domeſticæ ſcriptorem, à paucis, imò nullis reprobari videat. Ne autem à majorum veſtigiis aberrare, & (quod triviali fertur adagio) cornicum oculos configere, & ſexagenarios de ponte deijcere videretur, ſex noviſſimos Æneidos Virgilianæ libros explanandos & adfinem (ſuperis arridentibus) deducendos accepit: teſtatus Lucanum Silium, & Statium ut duriuſculos, Mantuani carmen, ut paulò flaccidius, à pleriſque non uſquequáque probari: unum Maronem heroici carminis ſcriptorem, ab omnibus (nullo reclamante) laudari, amari, deoſculari. Nunc igitur (pater) æquiſſimè perpendas, videatúrne ut ilius, horum authorum lectio: quam ſi probaveris, da operam, ut condiſcipulis proficientibus oſcitantes non pigritemur, pigri non oſcitemus, ſed novis actuum codicibus, cæteros omnes curſu & lectione prævertamus. Vale.

EPISTOLA XLII.

STomachum mihi aliquantiſper movit, ac bilem excitavit multidica illa verborum tuorum licentia: quâ me ut merulentum & vino marcentem, & (quod dicitur) ad ambas uſque aures ingurgitatum ſeverius

ſeveriùs inceſſiviſti: moviſſeſque acerbiùs paulò, niſi indubitatâ fide mihi compertum eſſet, te non morbo animi, aut livoris ſtimulo dictum id egiſſe, quin potiùs, ut me tibi jampridem obnoxium, ampliore ſemper obſequio demerearis. Ego ſanè inficias neutiquam iêro, me prater modum vinolentiæ deditum fuiſſe; eâ tamen in re culpæ meæ veniam eò faciliùs me exoraturum ſpero, quòd non ignores, neminem tantæ eſſe probitatis hominem (fuerit licèt diis ipſis proximus) cujus vita aliquantulis vitiorum tenebris non obnubiletur. Æneam ſua commendat pietas, dedecorat proditio. Alexandrum bellica virtus extollit, deprimit ebrietas. Solomonis prudentiam quiſque laudat, laſciviam nemo non vituperat. Neque tamen propterea licere mihi exiſtimo, ſceleratis aliorum veſtigiis impune ut adhæream: verùm id unum ſummopere abs te oratum vellem, ut convitiis aliquanto mitioribus me increpares. Non ſum pectoris adeo obtuſi, ut verbis humanis non molleſcam. Cæterùm quoniam me à potu nimio multis & immodicis ſermonibus deterruiſti: te deprecabundus poſtulo, ut prolixiore orationis ſtylo mihi adaperias, & enarres, quid contraria ebrietati & crapulæ temperantia utilitatis afferat. Secùs haud facilè mihi perſuaſero, fugiendam eſſe prorſus vinolentiam: quam ſemper (abſit tamen verbis tuis contrà niti) non ſolùm jucundam, ſed & utilem mortalibus exiſtimavi: nec exiſtimavi tantùm, ſed ex receptæ fidei authoribus, in omni doctrinâ locum facilè principem obtinentibus, collegi. Ennius in primis, Horatiano teſtimonio ſuccinere, & cal-

calculum adjicere volens, mero despumans ad carmen promptior extitit: quin & Cratinus asserit, Nulla placere diu, nec vivere carmina posse, quæ scribuntur aquæ potoribus. Mnestheus quoque vinum animæ & corpori robur addere testatus est. Quòd si horum testimonia, quòd profani fortasse auctores tibi videantur, sûsque déque tuleris, Christianæ religionis cultorem Baptistam Mantuanum tibi adjiciam, qui Faustum pastorem ità loquentem inducit.

Vina sitim minuunt, animique doloribus obstant.
Vina ut amicitias, vires ità corporis augent:
Funde iterum; potare semel, gustare: secundus
Colluit os potus: calefacta refrigerat ora
Tertius: arma siti bellúmq; indicere quartus
Aggreditur: quintus pugnat: victoria sexti est.
Septimus (Oenophili senis est doctrina) triumphat.

Nè igitur laborem tuum hac in re mihi adhuc deneges: quin ubi crastina fulserit hora, epistolam ad me remittas, quâ lucidiùs omnia verbis complectare. Caterùm pridie hujus diei ad aures meas pervenit, te libris affluere compluscul is, quos ut minimè tibi idoneos nunquam revolvas: sed in scriniis putrescere cum blattis ac tineis rixari permittas: hos velim properè ad me curares deferendos, nè non sit, quo corporis & ingenii mei vires exerceam. Vale.

Epistola XLIII.

Vix satis (ut opinor) verbis exprimi posset, in quàm profusum ac vehementem risum me vel invitum

invitum traxerit noviſſima, quam ad me dediſti, epiſtola, notiſſimum equidem tuæ cæcitatis argumentum præferens, longéque notius exhibitura: ſi ità ſemper cæcutire, hallucinari, ac deſipiſcere, ut cœpiſti, pergas. Ego verbis quàm fieri potuit humanis ſatis, ut opinabar, ſtudueram te à vinolentia cæteriſque permultis id genus flagitiis deterrere: quòd certò ſcirem, nullum ad virtutes, non eradicatis à ſtirpe vitiorum fomentis, aditum mortalibus patere: mihique adeò præter ſcrupulum pollicebar, te in meam ſententiam non pedibus modò, ſed manibus quoque ac toto corpore deſcenſurum. Verùm quis me oleum & operam perdidiſſe non fatebitur? dum te ab his, quæ perniciosa fore tibi conjiciebã, divertere ſtudui, & ad ea, quæ profutura opinabar, hortatus ſum: cui verbis meis, ut aliquanto aſperioribus, ac conſilio importuno, parum fuit non acquieviſſe, niſi & reprobanda quorundam Epicureorum teſtimonia ad vinolentiæ tuæ & erroris fulcimentum adduceres: quaſi verò delicti cauſam expurget erroris alieni teſtimonium, cæciſque viſum reſtituat aliena cæcitatis probatio. Sed Chriſtianæ Religionis cultor Mantuanus vinolentiam probavit, qui ſeptimum etiam hauſtum non deneget. Perpende velim priùs, quàm quicquam crudum & impræmeditatum evomas, quemnam paſtorem his verbis inanibus effutientem induxerit; nónne quæſo, ut idiotam & conſilii prorſus immunem? quòd ſciverit, qua à ruſticis nihil præter aratrum redolentibus efferuntur, à ſapientibus non pluris quàm ventris crepitum æſtimari. Videberis igitur

agrestì plusquam ingenio natus, si rustici perindè, ac gravissimi Catonis, frontis rugosæ viri, probaveris dictum: eò quòd ad nequitiam ampliorem (quod dici solet) fenestram tibi patefeceris. Quoniam autem efflagitas, ut amplioribus verbis tibi aperiam, quid contraria dapulæ, & corporum voluptatibus, temperantia utilitatis aut laudis afferat; Notius id (ut opinor) tibi fuerit, si priùs apud te mediteris, quid infamiæ, quid probri, quid ignaviæ afferant turpissimæ ac mellitæ voluptates: quas (ut ait Cicero) qui sequitur, nomine tantùm homo, re autem bellua dicendus est: cujus sit proprium corpori inservire, & his solùm voluptatibus, quas tum è pastu, tum è ventris quærit rebus. Turpissimum enim est genus hominum illorum, qui in ventrem projecti ac libidinem, veluti sues cœno volutantur. Nihil est ergò quòd ignores, hominem tantis laudibus ob temperantiam efferendum, quanto probro ob voluptates illas, quibus semper pœnitentia subsequitur comes, deprimendum esse conspicis. Temperantiam (nisi cornea fibra, aut jecur adamantinum, roburque & as triplex circa pectus fuerit) ut laudabilem probabis, si diligentiùs observes, quantam plerisque mortalium celebritatem, aut, ut veriùs loquar, immortalitatem pepererit. Non ignoras communi omnium suffragio perpetuò laudibus efferri Masinissam regem Numidarum, quòd centesimum suæ ætatis annum agens, semel tantùm in meridie cibum sumpserit: ut milites suos ad temperantiam suo induceret exemplo. Romanorum historiis Curium cœlo tenus efferrè conspicis, quòd olusculis contentus

tentus viveret. Lycurgum nonne regem ubique gentium nominari, quòd abſtemiùs vixerit? Alios item propè infinitos per ora hominum volitare, quòd ſibi hâc peſte interdixerunt? Cogant te igitur ad reſipiſcendum virtutis præmia, aut à flagitio deterreant ſcelerum opprobria. Non me præterit, difficile admodum eſſe, contemnere voluptatem jam nobis inſitam, & quæ affectuum noſtrorum ſemper ſequatur comes. Poſſunt tamen ſenſim vitiorum fomenta extingui, quæ momento uno extirpari nequeunt. Sed de his hactenus. Expetiveras nuper, ut libros, quos in ſcrinio putreſcentes cum blattis tineiſque rixari permittebam, ad te curarem perferendos. Curavi, quòd etiam, licèt ab oſtentatione procul poſitos, utiles tamen tibi fore ſuſpicabar. Ego, ubi majorem paulò ſtudiis meis quietem impetravero, ad te majora dare conſtitui. Hos tu iterum boni conſulas. Vale.

EPISTOLA XLIV.

ASſiduis (ut accepi) lacrymulis faciem humectas, curis edacibus animum corrodis, verberibus crebris corpuſculum diverberas, unguibus inſanis faciem deformas, quòd natum eximio literarum amore flagrantem, (cujus prima ætas iter ad ingenii lumen manifeſtum oſtendebat) fatali jaculo percuſſum amiſeris. Quod ſanè audire, nedum perpeti, difficile admodum mihi viſum eſt: parùmque abfuit (ità me ſtimulabat novi doloris rabies) quin interdum vulneribus inhoneſtis me mordicus mutilaverim: id-

que (ut opinor) feciſſem, ni muliebrem quandam ejulationem olim parentum & amicorum obſequiis interdictam, lege cautam fuiſſe, me monuiſſet Cicero. Ad id me urgebat indoles pueri eximia, mores probatiſſimi, & ingenuus pudor. Verùm cùm apud me ſagaciùs paulò conſideravi, ſtultum eſſe (ex Senecæ dicto) id timere, quod vitari nequeat; lacrymis temperavi: quod ut facias, monitum te velim. Noſti certiùs quàm ut moneri debeas, mortales omneis, etſi ſeriùs, morituros tamen. Parcarum ordo ſtat immobilis, fatum ineluctabile, immutabilis rerum diſpoſitio. Surdas eſſe mortis aures, ſaxeum pectus, inevitabile telum conſpicis. Nihil eſt ergò quòd te diutiùs animi excrucies, nihil, quòd vehementius indoleas, nihil, quòd ampliùs Deos & aſtra voces crudelia. Eſſet hercle, quòd meritò poſſes conqueri, ſi mitiùs cum cæteris mortalium, quàm cum nato tuo factum conſpiceres. Eſſet, quòd juſtè mortem ut injuſtam accuſares. Verùm (ut ait Tragicus) eſt omnibus æqua, non ſuperbificis regum divitiis magìs, quàm lacero mendicorum panno flectitur: nec frequentiùs caſas & tuguria, quàm turres & caſtra ingreditur, & expugnat: nec magìs Iro, quàm Crœſo; Curio, quàm Auguſto ſe præſtitit inimicã. Non hanc fucatis declamationibus oratores, ſuavidicis carminibus poetæ, promiſcuis pharmacis aut unguentis medici myropolæ, teretibus lanceis equites, pennatis miſſilibus ſtrictiſve mucronibus pedites, gemmatis coronis imperatores, non denique cuncti mortales rebus ullis mortem effugiunt, aut terrent: neque ſanè honeſtius aut ſublimius

limius Regi, quàm paſtori domicilium præparat.
Quantum quiſque ſui metitur corporis umbrâ
Impendens terræ: maiorem non parat urnam
Principibus, quàm pauperibus rudibúſve bubulcis.

Quin & urbes fortiſſimis munitas propugnaculis, templa variis extructa marmoribus, aulas Attalicis decoratas tapetibus funditus demolitur, evertit, diſſipat. Cùm nihil igitur intactum relinquat, cui ſuæ acerbitatis virus non propinet, quod non fodicet telo: furorem moderare, bilem cohibe. Erat (fateor) quem luges, facili natus Minervâ, multáque jam lectione exercitatus: ità ut proſperè cum Latinis actum eſſet literis, ſi ſupervixiſſet. Cùm tamen fatalis neceſſitas ità exigat, ut unumquemque aliò migrare expediat, ejus tranſitum vultu ſereno ac minimè ſupercilioſo perferre debes: quinetiam felicem illum cenſere, quòd non repentino (ut plerique à Plinio enumerati) obitu deceſſerit; ſed dilutâ ac expurgatâ longo examine conſcientiâ: quanquam nihil (ut conjicio) ſeverâ dignũ ſcuticâ, brevibũſque Gyaris & umbrarum carcere dignum perpetraverit. Quòd ſi tantus animi tui dolor nullis verborum aggeribus queat manſueſcere, alienæ ſaltem conſtantiæ exempla te moveant. Anaxagoræ in primis, qui auditâ filii morte, nihil ſibi novum nunciari aſſeruit, quòd ex ſe natum mortalem ſciret. Periclis item, qui duobus filiis intra quatriduum ſpoliatus, iiſdem diebus vultu non magìs moto, quàm ſi fuiſſet dura ſilex, aut Marpeſia cautes, concionatus eſt. Æmylii Pauli, & Xenophontis poſtremò, quorum huic ſacri-

ficium agenti cùm nunciatum esset, alterum ex filiis, natu majorem in acie cecidisse, coronam tantùm deposuit, percunctatus demum, quonam modo cecidisset: ut audivit fortissimè pugnantem interisse, depositam capiti coronam reposuit, numina testatus, se ampliorem ex filii virtute voluptatem, quàm ex morte amaritudinem sentire. Ille, dum quarto ante triumphum suum Macedonicum die alterum filiorum amisisset, alterum demum tertio post triumphum, jacturam illam aquo animo tulit. Id erat quod te monitum volebam, & à te precariò factum expetebam. Vale.

Epistola XLV.

Sæpè & multùm apud me dubitavi, liceret nécne ad eos velut ad anchoram & asylum semper in adversis confugere, quorum suppetiis & patrocinio jam plerúmque fuerimus adjuti: atque eò magis, quòd beneficium qui dare nescit, (inquit Seneca) injustè petit; sitque ingrata, & minimè generosa mentis, accipere semper, largiri nunquam. Fecit ea res, ut novo emergente scrupulo, qui malè me habet, consilii tui suppetias adhuc emendicare diutiùs & cunctanter erubuerim: cùm jam tua beneficia in me tanta extiterint, ut si vitam pro tuâ unius dignitate profunderem, vix partem minimam viderer assecutu. Cùm tamen monuit me Tullius, grati esse animi, & multum velle debere, cui jam plurimum debeas: tanti tàmque prudentis viri dicto audacior paulò factus, timorem exui: neque adhuc turpe existimavi, ad

te

te veluti Mecœnatem beneficum recurrere: qui si meritis tuis respondere, aut gratiam referre nequeam, agere saltem non desistam: eósque imitabor mendicos, qui cùm acceptæ stipis mutuum referre nequeunt, benevolâ verborum actione rependunt. Is autem scrupulus, qui me mordicitus vulnerat, nocturnum somnum mihi adimit, severam faciem mihi exasperat, méque, propè dixerim, de gradu dejicit, talis est: Insurgit in me rabiosæ loquacitatis, & contagiosæ virulentiæ clamosus quispiam detractor, ac pestifer libitinarius, satyricis armatus aculeis, telag; vipereo sanguine tincta gerens. Cùm nec verbis à me læsum, nec injuriâ affectum (testes verborum meorum Deos invoco) putaverim; sed (quod nunquam sibi persuasit) plerúmque miris extulerim præconiis, meisque rebus, ac modicâ supellectile, quantulacunque fuerit, si eguisset, uti voluerim: is tamen, ut nôrunt omnes, passim locorum, carinâ utens facundiâ, nomini meo illudit, genuino dente me mordicat, indelebile stigma mihi inurit. Hunc diceres quotidie totũ perlegere Archilocum. Quod sanè perpeti, difficilius, ac molestũ magis videtur, cùm, quâ me accusavit culpâ ipse vacem, simque eorum, quæ mihi impingit, minimè conscius. Si ullâ verborum petulantiâ à me præter hanc fuisset irritatus, immeritò sane viderer conqueri, Qui paterer telis vulnera facta meis. Cùm præsertim Lacedæmonius Chilo præceperit: Proximo non malè dicas, si non vis malè audire. Verùm (repetere cogit doloris rabies) nunquam usquam à me factũ dictúmve existimo, quare ità in me stomachari, succẽsere, invehi,

ac ſævire debeat. Id tolerandum necne fuerit, non ſatis ſcio. Tolerarem, niſi tacendo culpam præſtare viderer, niſi etiam ab hoc me diverteret Publii mimographi poetæ verbum, ſcribentis, Veterem ferendo injuriam, invitas novam. Te igitur plùs quàm dici queat, oratum velim, ut ubi primùm negotiis, quibus nunc diſtrictus es, quietem impetraveris, aliquam conſilii tui ſcintillam mihi porrigas; quódque imponitur oneris, ſponte ſuſcipias: ſimul ut pleniore obſequio me tui amantiſſimum demerearis, ſimul nè id ſuffragii mihi denegans, ſis delicti mei (quod alioqui fortaſſe perpetrarem) author conſcius. Vale. Valetudinem tuam cura diligenter, & me ſemper ama, ut ſemper feciſti. Datum ex ædibus noſtris, quar. Non. Ianuarii.

EPISTOLA XLVI.

SÆpe & multùm dubitâſſe te aſſeris, eſſes necne, ſi quando ſiniſter ſcrupulus animum tuum preſſiùs vulneraret, ad me velut anchoram præſidii cauſâ confugiturus. Miror ſanè, unde perplexa iſta fluctuatio, & anxietas tibi primùm irrepſerit, qui amicitiæ jure omnia tibi polliceri debuiſſes, quæ aut corporis, aut ingenii mei vires non exuperant. Eſſet, quòd cunctantiùs paulò hæſitares, ſi ulla in re quam amicum poſtulaveris, aut te repulſam apud me paſſum teſtareris, aut ſi in præſtando vulneribus tuis medicamine, tardiuſculum me aliquando amicum præſtitiſſem. Verùm (niſi fallor) cùm me ſemper probâſti, qui (ut Periclis verbum mihi vendicem) paratus

ratus sum me rebus tuis accommodare, etiam usque ad aras: quique conservandi tui causâ de via declinare cum Chilone non dubitârim. Dignissimum enim hoc mutuæ inter nos charitatis pignore te semper judicavi. Hæsitare igitur quiescas moneo, tibique persuadeas, me (ut cum Terentio loquar) pedibus manibúsque omnia semper facturum, quò rebus tuis consulam. Quòd autem scribis, malignum quendam ac rabiosæ loquacitatis Zoilum in te contagiosæ virulentiæ dietim quicquam ubivis locorum evomere: quem nec verbis à te læsum, nec injuriâ affectum putes: vis quid in ea re utile factu sentiam, & tibi adaperiam? Socraticæ patientiæ tibi loricam assumas, frontem baccare cingas, inconcusso vultu omnia patere, perpetere, & abstine, ejúsque verba non pluris quàm saturi ventris crepitus facias. Non ignoro, ideo duriùs bilem tibi ac stomachum movisse, quòd quorum te insimulat, minimè sis conscius. In hoc hercle notius argumentum fuerit tuæ sapientiæ, si ubi clamosâ comminatione, verbísque jurgosis ità oblatrat, ità cornicatur, elinguem Seriphi ranam te præstiteris. Quid enim huic homini bombilio litem dissuadeas? Quid serpentinæ linguæ venenum excludere satagas? Patere, patere, ac priusquam temerè quicquam eructes, Tiberii Cæsaris modestiam in memoriam revoces, qui (ut testatur ille) post convitia, malósque rumores, ac famosa de se ac suis carmina, firmus & patiens, dicere satis habuit; In civitate libera, liberas esse linguas oportere. Ad id te omnia Philosophorum apothegmata ac sententiæ invitant: Claebuli impri-

imprimis, cum cavillantibus non esse insaniendum præcipientis. Quid, quæso, te lucri consecuturum speras, si cum jurgioso litiges, & (quod fertur) in puteo cum cane pugnes? Nihil sanè malè dicit, qui benè dicere non novit. Ejus igitur verba Zephyris committas. Clamet, obstrepat, crepet, increpet, nihil est quod tibi dari queat vitio, si pertuleris. Vale.

EPISTOLA XXVII.

MAgni (ut video) verba mea æstimâsti, magnè consilia feciſti hominum stultissime: qui, quod tibi perniciosum semper fore prædicavi, excæcatus, stultitiæ tenebris involutus perpetraveris. Parum tibi visum fuerat, juventutem innumeris propè flagitiis contaminare, nisi & summam tuis miseriis impositurus, uxorem duceres: quasi verò odiosa tibi fuerit libertas, infantium clamor jucundus, quasi multorum curam appetas, qui tui tantùm vix curiosus esse poteras. Quid dicet homo antiquâ virtute ac fide, pater tuus, si resciverit, qui jam sacris mysteriis & cultui divino ab incunabulis te devoverat? Testor Deum atque hominum fidem, ad insaniam redigetur, vix erit sui compos, ità ardebit iracundiâ. Et cui dubium potest esse, quin, sicubi locorum te repererit, quingentos protinus tibi infringat colaphos, aut cerebrum tibi diminuat, aut te verberibus casum in pistrinum dedat? Quibus autem verbis ambire furentem conabor? Quæ prima exordia sumam? Quo affatu lenire studebo? Vociferabitur, scio, & me erroris tui conscium protinus exclamabit,

bit arguet, deteſtabitur. Cùm enim interdum apud me juventutis tuæ jugum libidinem, prodigentiámq; bilioſus increparet, atque adeò execraretur, ut penè in capillos tuos vellet involare, apud eum te ſemper excuſatum habui, dixíque, juvenile id eſſe vitium, ac primævis omnibus commune, quod creſcentibus annis facilè extirparetur: promiſique perditos illos mores me tibi facilè excuſſurum. Dii boni, quid inquam dicet? Utri noſtrûm gravius excandeſcet? utri durius convitium evomet? Utrúmq; ſanè (ut opinor) pari cultro dignum putans, furiis devovebit. Miſerum me, quid agam? Hoccine etiam hominum perditiſſime feciſſe debueras, priuſquam amicorum cuiquam verba faceres? mihi ſaltem, qui te ſemper pari loco habui, quo & parentem: cui nihil unquam tam arcanum intus latuit, quod tibi adaperire dubitaverim? Quid eſt quod in erroris tui fulcimentum adducas? Quod huic malo remedium invenies? Quid cùm te arguet, referes? Si priùs quàm quicquam molireris, amicorũ neminem conſiliis tuis adhibere voluiſti, cautiùs ſaltẽ præmeditari debuiſſes, quid oneris ſubibas, cui jugo cervicẽ inclinabas: jugo dico, quod cùm vel cornibus excutere placeat, non liceat. Id auribus tuis inculcatum ſi profundiùs volvas, ademptã tibi libertatẽ comperies. Te ſolum tui curioſum priùs eſſe oportebat: Uxoris poſthac, & liberorum cura erit habenda. In diẽ antehac vivebas: incœpto vix prandiculo matutino, cœnæ ſequentis anxium te eſſe nunc expedit. Porrectis (quod dicitur) pedibus, & in utrãq; priùs aurẽ dormiebas, nocturnum ſomnũ tibi poſthac aufe-

auferet domestica necessitas. O hominem inconsultum, ô tribus Anticyris caput insanabile! Erit, polliceor, tempus, in quo stultitiæ tuæ pœnitentiâ ductus, & unguibus faciem tibi deformes, & matrem, cùm te pepererit, abortivam malles peperisse. Quid quæso, si amicorum verba nequiverunt, suis aureis sententiis philosophi ob hoc non deterruere? Quid primùm omnium tibi non succurrit Alexandrides, qui dicebat, Diem nuptiarum, omnium malorum initium? Nam aiebat, Si pauper divitem duxeris, dominam, non uxorem acceperis: Si pauperem, onus vitæ ferre non poteris, cùm pro uno duos sis nutriturus: Si turpem, dolebis: Si pulchram, habebis communem. Quid, inquam, Hyponactes & Cheremon non diverterunt? quorum ille duos dixit uxoris dies dulcissimos: Nuptiarum videlicet, & mortis: Hic satius uxorem efferre, quàm ducere. Cæterùm quoniam veteri fertur proverbio, Serò Phryges sapere, tuo nunc infortunio sapias: & quam in te cudisti fabam, perpetere. Quod tibi propinâsti venenum, bibe. Vale.

Epistola XLVIII.

Quid causæ est, quòd novissimis tuis literis tantopere mihi succenseas, in me tam graviter exclames, tam acriter inveharis, tam furiosè sævias? Súmne incendiarius pirata, sacrilegus homicida? Nihil herculè (ut suspicor) peccavi, nihil commerui, nihil denique tanto dignum convitio perpetravi. At uxorem (dicis) parentibus, qui jam sacris mysteriis

ſteriis ab incunabulis me devoverant, ignorantibus, aut invitis potiùs, duxi. Quidni duxerim? Quis à protogamia hominem diverteret, cùm nec humanis, nec divinis legibus cautum ac vetitum fuiſſe unquam reperiatur? Tu ſicubi legum, locorum, gentium, authorúmve eminentiſſimorum contrà factum probaveris, digniſſimus cenſeri velim, cujus in exitium & mortem non una paretur ſimia, non ſerpens unus, non culeus unus: ſed quidquid ab ingeniоſis ad hominum tormenta & miſerias tyrannis unquam repertum eſt. Vis me ſenio tenus (quæ miſera eſt laſſitudo) ſolitarium ac cœlibem conſeneſcere? Vis breviſſimam hanc vitam inſtar lacrymoſi turturis præterire? Fruſtra igitur moneret Tragicus, lætiut viveremus dum fata ſinunt, cùm præſertim properet curſu vita citato, volucrique die rota præcipitis decidat anni. At veterum quidem philoſophorum multos & caſtè vivendum præcepiſſe, & ut præceperunt, vixiſſe, facilè conceſſerim. Non eſt tamen diſſimulandum, verè ſapientes non tantùm nuptias commendâſſe, ſed ad eas quoque acceſſiſſe. Summi enim philoſophi Pythagoras, Socrates, Crates etiam, qui ſine ſupellectile fuit, uxores duxerunt; eiſque cohabitavere neque philoſophiæ impedimento putaverunt. Quid enim (ut arguebant) magis officium philoſophi, quàm ſecundum naturam vivere? quid autem magis ſecundum naturam vivere, quàm uxorem ducere? Tute ipſe noſti, animal plenum rationis (quem hominem dicunt) ſociale eſſe, atque ex philoſophorum teſtimonio ſocietatis illius principium

eſſe

esse conjugium, sine quo neque civitas consistere, neque domus perfecta esse potest. Illud enim vinculum (quæ jucunda est animi requies) utrique curas admit, in utróque amicitiam conflat, ac, si quod acerbitatis virus in altero enascatur, partem alter ebibit. Non sum ætatum adeò imprudens, ut cui, vel rejectis statim crepundiis, id licere contenderim: ubi tamen ætas firmiùs aliquando maturuerit, non video, quare id commodè fieri non possit, aut si possit, non debeat, aut si debeat, cur mihi quoq; non liceat, cùm necessarium videatur matrimonium, ex triplici Lacedæmoniorum lege: Quarum primâ, Qui uxorem non duceret; secundâ, Qui tardiùs; tertiâ, Qui non bene, damnabatur. Apud Romanos quoque Valerius maximus, & Julius Brutus Bubulcus censores, bona eorum, qui ad senectutem cælibes pervenerant, fisco adjudicâsse creduntur. Sed qui deformem (inquis) duxerit, molestam feret: Qui divitem, non uxorem, sed dominam accipiet: Qui pulchram, tenebit communem. Duxi ego uxorem formâ liberali, & vultu adeò modesto, ut nihil supra: neque enim (spero) communis erit, quæ nullum adulterio capitalius esse flagitium sibi unquam persuasit; sed eos, qui aliquid perpetrâssent, Perilli tauro, & Busiridis arâ dignissimos semper asseruit. Quid, quæso, melius facerem, quàm quæ laborum partem sustineret, partem voluptatis & lætitiæ mecum ebiberet, reperirem? Faciam enim aliquid oportet: sacris me addicerem mysteriis, qui id utile fore ut crederem, adduci nunquam potui? Solus

bellua

belluæ instar viverem, cui solitariâ vitâ nihil unquam magìs odiosum visum est? Fornicarer, aut adulteriis me contaminarem, cui aliter concupiscentiæ præter scelus parêre liceat? Fornicatione & adulterio abstinerem, cui stimulo carnis reluctari, impossibile magìs, quàm difficile extitit? Cùm igitur secus fieri nequiverit, quiescas porrò moneo, ac desistas mihi velut ignominiosum aliquid connubium objicere. Egeo tuâ & parentum operâ, quam si facti hujus pertæsi mihi denegaveritis, solus rerum mearum, utcûnque potero, satagam, quando etiam id efficere, meâ propiùs quàm aliorum interest. Quòd si assiduus corporis, mei sudor minor fuerit, quàm ut nostrûm utríq; victũ conferre valeat: certum est domesticatim potiùs manum ad stipem porrigere, quàm inediâ miserè consumi. Vale, habes animi nuncia verba mei. Datum ex meo & sponsa tugurio. Calen. Martii.

EPISTOLA XLIX.

HOminum barbaris & incultis moribus præditorum complusculа belluinæ propè feritatis exempla historiarum passim reperire est. Nec usquam tamen annalium legisse aut vidisse tam lapideæ cervicis, tam agresti natum ingenio quenquam memini, quem pepone molliorem, & oleo tranquilliorem non redderent meæ vitia tua detestantis inclamationes: quæ te cordicitus non solùm non pupugêre, sed ne in cute quidẽ titillârunt. Quod me animi suspensum ita reddidit, ut quotiescunq; rei hujus in mentem venit, (venit autem per singulas horarum minutas) mihi vix ipse temperarem, quin vitæ longioris pertæsus,

novum aliquod & inauditum mortis genus misero mihi comminiscar, quo possim invisam quam primùm abrumpere lucem. Feciſsémque jampridem nisi ferreum hunc animi tui rigorem humanissimis verbis sensim excuti posse mihi persuasissem. Quis enim perferat probris alienis se infamem fieri? At puerorum flagitia sæpenumero parentibus impinguntur: quòd hanc peccandi occasionem, mollemque educationem (quæ omnes corporis & animi nervos frangit) liberiùs illis videantur indulsisse. Videbor igitur meâ socordiâ, aut formandâ tui negligentiâ, ad nequitiam fenestram tibi patefeciſse: atque cùm nihil aliud perpetravero, quàm quòd talem genuerim, magnam tamen reipublicæ injuriam videbor intulisse: quasi verò omnem operam, curam, industriam, diligentiam denique omnem, ut te quàm optimis firmarem institutis, non adhibuerim. Quando enim, quæso, rerum tuarum negligens visus sum? quando tardus aut fugiens laboris ejus, præsertim quem tibi usui fore credidi? nonne à puero parvulum eduxi? nonne pecuniarum, aliarúmque rerum tibi utilium affatim semper ministravi? nonne sub præceptoribus Latinas literas haud incuriosè doctis, quos intra privatos parietes non modico retinui stipendio, erudiendum curavi? Abundè lignorum, si quando vehemens esset frigorum intemperies, præbui: mundiùs cæteris fratribus vestivi. Sperabam itaque his in te meritis, te quoquò terrarum misissem, iturum, nihil eorum, quæ præcepissem, morosâ cervice detrectaturum, sed pedibus manibúsque in meam sententiam

descen-

descensurum. Neque tamen te pudet hominum turpissime ea facere, quæ & me ad insaniam redactura, & te (nè dubitaveris) aliquando ad furcas & scalas gemonias ductura sint. Nam si lucidiùs aliqua ex his, quæ infinita sunt, verbis complecti liceat, quænam scelerum species reperiri queat, quâ te non inquinaveris? quis in tota Gallia sicarius, quis ganeo, quis adulter, quis parricida, quis nepos, quis aleo, qui se tecum familiarissimè vixisse non fateatur? Taceo puritiam tuam, quam deliciis solvisti, verba impudica nè Aledandrinis quidem permittenda deliciis in ore tuo frequentia; alia item gravissima, quæ ab omnibus perpetrâsse utinam falsò dicereris: quæ tametsi dictu pudenda sunt, feciſſe tamen te non puduit. Acciverunt me ad cœnam nudiusquartus amicorum nonnulli, ubi cùm in tui mentionem mutuis incidissemus colloquiis, cœpit quidam immodicus alioqui virtutum mearum æstimator, me siniſtris avibus natum prædicare, qui filium genuissem effigie tenus hominem, spurcissimis autem moribus porco simillimum, cui jucundius sit in cœno & stercore volutari, quàm aquâ purissimâ dilui. Nec defuêre, qui te ipsum perindè ac spurium, semine meo genitum inficias irent, qui virtutum mearum nè minimam quidem referres scintillam, nec mea te monentis verba pluris quàm minutulos lanarum floccos æstimares. O quantâ, quæso, quámque acutâ doloris cuspide pectus meum tunc perfossum fuisse existimas? ô quantâ irâ siccũ jecur arsisse opinaris? Vidisses (ità me dii amant) effusos oculis meis lacrymarum rivulos ubertim erumpere. Vi-

disses capillos ventis diffusos extrahi. Dixisses, aut me dentium stridorem perpeti, aut quibusdam numinum intemperiis morbóve comitiali miserrimè agitatum distorqueri: ità me stimulabat rabies, ità comprimebat dolor. Quem dum qui aderant, verbis lenire (frustra tamen) conarentur, aggravescebat ità, ut perendie viderer moriturus. Dii boni, si te talem futurum sperâssem, te hercle (ut opinor) nutricis ab ubere raptum feris devorandum objecissem. Idque in rem utrique fuisset: vitiis saltem caruisses, ego miseriis istis, quas perditissimi tui mores glomeratim mihi congerunt. Tu ob scelerum ignominiam, ego ob eam, (quam præbuisse dicor) peccandi occasionem despectui & ludibrio non haberemur. Mirabar, mirabar quòd tui videndi copiam neque nobis neque amicorum cuiquam jampridem fecisses. Tu enim turpissimæ vitæ conscius reformidabas, nè nostris omnium clamoribus (ut criminosi est) arguereris. Timebas licentiam tibi adimi, & jugum servile imponi. O quàm inopes mentis meo unius periculo, eos prædicaverim, qui dum ætas, metus, magister prohibent, quodam velut præsagio putant sibi compertum, quales sint futuri juvenum mores; his nihilo sagaciores, qui ab unguibus leonem judicant! Tu cùm adhuc puerulus esses, eminentissimum futuræ virtutis lumen præ te ferebas, omnesque (ut eos juvenum, qui verecundi sunt, laudare mos est) modestissimum te prædicabant: nec erat qui spem de te quàm optimam non conciperet. Sed,

Hen hominum ignara mentes, ignara futuri
Pectora!

Pectora: dum validos ætas tibi contulit annos,
Virtutum radiis scelerum præferre tenebras
Cœpisti, & misera præsagia fallere turbæ.

Jam ut aliquando verbis istis, nihil apud te lucri facturis, nullum (ut scio) pondus habituris, finem adjiciam; ad ea quæ nunc dicam aures adverte. Non si (ut cum Terentio loquar) ex capite meo sis natus, itidem ut aiunt, Minervam esse ex Jove, eâ causâ magis patiar flagitiis tuis me infamem fieri. Aut igitur vitam tu meliùs commutes, aut de te literam longam facturus, jugulum pares laqueo. Nisi enim te resipuisse audiero, ego velut spurium, & puerum me patre minimè dignum, te exhæredatum, brevibus Gyaris, perpetuis tenebris, aut furcis potiùs devovebo. Vale, & verborum meorum (si sapis) noli dememinisse.

EPISTOLA L.

VIx audeo hercle postulare, ut verbis meis fidem adhibeas: non quòd commentitia quædam aut hyperbolica scripturus sim: sed quòd factu difficillima fortasse viderentur; nisi syncerâ fide tibi persuaderes, eum me esse, quem amicorum absentia non minùs torqueat, & exulceret, quàm delectet præsentia, & enutriat. Postulabo tamen (scio) multa intempestivè & illepidè meo more dicturus: sed quæ omnia meæ imperitiæ tua condonet & indulgeat humanitas. Jam primùm omnium latere te nolui, ex eo quo Lutetianas mythologias, viliorésque istas (quibus impallescimus) nænias reliquisti, Aureliámque profectus es, ut

ibidem in meliores disciplinas, & magis quæstuosas te totum impenetrares, animum meum tui absentis desiderio ità intabuisse, ità somnolentis quibusdam cogitationibus emarcuisse, ut Socratis non longè absimilis viderer, qui stare solitus dicitur pertinaci statu perdius atque pernox, à summo lucis ortu ad solem alterum orientem inconnivens, immobilis iisdem in vestigiis, ore atque oculis in eundem locum directis, cogitabundus. Dixisses me instar Niobes in lapidem obriguisse, aut præstigiis quibusdam, larvisq; bustuariis stupefactum obmutuisse. Quinetiam agelastus, ac velut irrisibilis lapis factus sum. Testes collegæ nostri, qui ubi attenuatam prorsus faciem, & ossa ipsa cute tenus protuberantia contuentur, morbo & eo quidem acerbo, ac diuturno me laborâsse conjectant: qui tamen mutuæ nostræ benevolentiæ certiores fiunt, id tui causâ mihi contigisse non ambigunt; ægrum propterea solantur, aut saltem solari contendunt, causati nullum esse tam pertinax & indissolubile amicorum contubernium, quod aliquando alio istùc, alio illùc profecturis, separari non oporteat. Vellem nihilominus à diis immortalibus ità comparatum fuisse, ut mori secum mihi licuisset, quocum tam benevolè vivere, quid vivere? imo jocari semper & otiari licuerat. Sed ô fortuna (exclamat Plautus) ut nunquam es perpetuò bona! Eo me amico privari opertuit quocum omnia, ut mecum liberè loqui poteram? qui dolorum meorum partem ebibebat, sine quo jucundum nihil mihi videbatur, qui acerbitatis meæ virus utcunq; pestilens, inexhaustâ verborum magniloquentiâ repellebat.

Facundo

Facundo tibicini persimilis, quem scitè & modulatè adhibitum, viperarum morsibus mederi testis est Theophrastus ille Gellianus. Quæ omnia qui adulandi studio à me dicta suspicaretur, is hercle tibi non minùs quàm mihi esset injurius; me videlicet parasiti similem existimans; te Thrasoni Terentiano auris popularibus gaudenti comparans, qui inadulabilis es, & judicii tui non prodigus: quique palpum obtrudere, si lenocinium esset, cautè novisti. Stultum esset & inconsultè factum, hoc æstu ad tibi congratulandum velle irrepere, quem nuda & infucata delectat veritas, quémque (ut cum Aulo Gellio loquar) hominem esse novi scientiâ nihil de verbis laborante. Etsi autem eâ animi ægritudine semper fuerim, scribendi tamen cupido mihi nunquam defuit, neque enim deesse permisisset insopita mutuæ inter nos amicitiæ recordatio, quæ audacem suggerebat animum & hortabatur; licèt timidiusculum faceret imperitia; eóque audacior fiebam, quo opinarer stylum meum insulsum & rusticum, solœcismisque (ut tecum & cum Gellio loquar) ubivis scatentem, non multùm ab eorum abhorrere facundia, qui vel Cæsareo, vel Pontificio juri vacarent: non quòd eis linguæ cultum derogem, sed quòd mihi dicendi peritiam vendicare nolim. At ubi reddita est nobis a Trismegisto tuo verè (ut opinor) legulejo epistola, Dii boni quantùm stupui, quantum inquam, mihi admirationis attulit rei novitas; qui bellè in animum meum induxeram, sermonis cultum non magis cum legum studio conjunctum esse, quàm maturam cum infantia prudentiam? Putabam ego

philonomos omnes barbarè, aut saltem non multùm lepidè loqui: plerosque non Latinæ linguæ inscitiâ, sed ostendendæ doctrinæ tædio, aut odio potiùs. Video tamen, si modò tui similes multi comperiantur, peritiam & facundiam cùm legibus adeò conjunctam esse, ut difficillimum sit judicare, magisne legibus artes humanitatis, an artibus ipsis leges debeant. Qua in re maximum mihi stuporem attulisti, quòd eas contemptui, nedum derelicti habeas, sine quibus leges ipsa vel sanè rudentibus Arcadiæ pecuariis displiceant, aut sylvestribus rusticis notescant facillimè. Gaudeo tamen quicquid dicas, earum amœnitate & succo te oblectari, quarum studio cuncta tibi interdixisti. Dii faciant ut eo semper animo, etsi dissimules, perdures, ut Palatinam mephitim, & causidicorum istîc latrantium barbariem tuâ eruditione simul & doctrinâ venustes, & Budæum, quem doctissimum esse vel frequentibus cujusque testimoniis, & inter Lutetianos velut monstrum priùs invisum, nemo inficias ire audeat, omni modo insectéris doctrinæ: eósque aliquando castiges patronos ineptientes, qui nullum utrique juri sermonem aptum existimant, nisi eum qui inornatus sit maximè: quasi verò ex industria barbarè loquantur, quos Latinè loqui vetat imperitia. Quòd autem multis verbis artes nostras despicari visus es, te sanè felicem prædico, cui tandem aliquando ex his garrientibus disciplinis, nihil hominis præter pauperiem comparantibus, emergere, ac pedem revocare licuit: Nos autem malè feriati in his consenescimus, ac penè Pherecydis instar Phthiriasi,

riasi, & morbo Syllano inter pediculos collegiales emarcemus, & tabe lentâ consumimur. Nos impendio loquaciores, theorematibus tantùm nugalibus puerilibúsque commentationibus dilatrantes, & captionum Grammaticarum laqueis strepentes, stipulas & culmos steriles colligimus: vos (absit verbis meis invidia) grana relictis inanibus paleis ubertim metitis. Nos (ut verè dicis) verborum & argutiarum fuligine obcæcati, præsentia tantùm conspicimus, futurorum immemores. Vos & præsentium & futurorum soliciti, posthabitis disciplinarum nihil crumenæ profuturarum studiis, prospicienter vobis & reipublicæ consulitis. Quare nil mirum si ad magistratus ampliorésque dignitates evecti, fortunam, vestro temperetis arbitrio: nos verò veluti pulli involucres & implumes, è nido surgere nunquam possimus. Sed quid aliud faciamus? Non cuivis homini contingit adire Corinthum. Vnum est quod me solatur maximè: Securiùs ego me in infima conditione victurum spero, si modò paupertate meâ fuero contentus, quàm si ampliori inhians, me semper animi excruciarem miserè: etsi hoc eorum sit dictum, qui cùm nihil assequi possunt, desperantes, suis se contentos rebus asserunt: quod qui dem velint, nolint, faciant oportet. Cæterùm nè in re nihili utramque paginam feciſſe videar, conditionis meæ certiorem paucis te velim facere, ut mihi si sinistra sit condoleas; si prospera, congratulere. Discipulorum in primis numerus in eodem statu permanet, præterquam quòd uno Florido imminutus est, qui patrem

malâ valetudine laborantem visurus abiit, ut vel atratus interfit exequiis, vel convalescentem lætus videat: venturus sit nécne, latet. Neque sanè multùm laboro: eam enim à discessu tuo constantiæ loricam indui, ut jam frivolis id genus rebus contristari non decreverim. Ego prospere valeo. Id verò me semper malè habuit, quòd absentiæ tuæ impatientissimus fuerim: dolorem tamen hunc leniit prospera tua (quam ex literis cognovi) conditio. Nihil istîc novi agitur. In regum festo tria aut quatuor tantùm collegia mimos & comœdias recitavêre, & eas quidem satyricis immunes aculeis: timuit enim capiti suo unusquisque, quorundam periculo factus cautior, qui (quòd regiæ majestati & muliebri perduelles stigma inussissent) catenati ad regem non tam dulci, quàm tracti sunt. Magister Durandus, cui doleo, adhuc in vinculis est: dolorem tamen sperato reginæ adventu, ubi se liberum fore confidit, solatur. Fatis (ut multa plerumque cadunt inter calicem supremaque labra) concesserunt magister Ioannes Tylli, olim Navarrici templi sacellanus, & N. hic Lutetiæ, Nivernensis ille: misereatur utriusque Dominus. Salutavi omneis quos literis tuis salutandos jusseras, qui te pariter resalutant. Superest etiam, ut verbis, utcunque fieri poterit humanis, dominos meos Amansurianos (quorum ego obsequiis ad aras usque sum paratissimus) meo nomine salute dones. Item M. Xantonensem & utrumque Garsonerium. Itidem magistros, & quos omisisse fuisset incivilis & rustici planè hominis; discipulos nostros Rutilium Pedianum,

num, & Mirandulanum, ingenuos adoleſcentes, mei (ut opinor) amantiſſimos, quibus quoque in amore reſpondeo. His plurimum gratulor, gratulaborque quamdiu vixero, quòd (ut ſcribis) contentioſa quadam æmulatione ſtudio avidiſſimè incumbant, ſintque ut meorum & tuorum, ità & ſtudiorum ingenioſi ſectatores, & ſocietis ſimii. Spero rem noſtram publicam tuâ & eorum doctrinâ ac prudentiâ tandem maximè auctum iri, & prudentiſſimè gubernatum. Dii faciant, ut eares falſum me non habeat. Si quid eſt, quod mea ars iſtîc in tua, & eorum cauſa efficere valeat, aut patrocinari, non parcas laboribus. Invenies me non ſegnem, neque tui abſentis immemorem. Vale tu Nomophage, & illi Nomophili, & excuſatam habeto, ut ſermonis, ità & formandorum compingendorúmque debitè elementorum inſcitiam. Datum ex cubiculo noſtro 18. Cal. Feb. Vnum eſt quod omiſeram: Cavete, quaſo, mei animuli, nè ingeniola veſtra & corpuſcula tantis laboribus, aut pervigiliis, frequentioríque ſtudio ità fatigetis ut propterea immedicabilem morbum incurratis. Id dico, quoniam jampridem compertum eſt, vos in hac re frænis, non calcaribus indigere. Vale.

EPISTOLA LI.

NVdiuſtertius, horâ poſt meridiem circiter quartâ, eas ego ſuſcepi literas, quas tabellario noſtrati pridie Cal. Octob. ad me dederas: quibus ego lectis, notiſſimũ prudentiæ tuæ feci periculũ, notius longè facturus,

facturus, si in ea perstiteris animi modestiâ, quam hactenus tibi vendicâsti. His autem me consulebas, sub cujus præceptoris ferula tibi ad doctrinam comparandum esset militandum. Quod etsi inquisitius, exactius, ac magis solicitè quæsitum reposceret judicium, coactus sum hâc Epistolâ, raptim & tumultuariè scriptâ tibi paucis aperire, quid super ea re mihi sit animi. Idque facere propter desperatam abituri nuncii celeritatem, qui antelucano sequentis diei quo venerat, tempore, sibi properè redeundum esse testabatur. Consulerem in primis, ut eum præceptorem tibi eligeres, cujus virtus non minùs animum excoleret, quàm doctrina ingenium vegetaret. Nam si studiis (ut cum Fabio loquar) scholam profuturâ, moribus autem nocituram constaret, potior mihi honestè vivendi ratio, quàm vel optimè dicendi videretur. Est ludimagistrorum genus, qui rudimenta illa (sine quibus quicquid super extruxeris corruet,) neglectui habent, & fastidiunt, quòd ab omni ostentatione aliena sint: ea tamen maximè curant, quæ Kenodoxian, id est, vanam gloriam afferant. Sub his te mereri nolim: tum quòd plura in fronte promittunt, quàm præstent in recessu: tum quòd impendio loquaciores, ac nugacibus quibusdam naniis dilatrantes, pueris fumos venditent; nihil doctrinæ eorundem animis suggerant & inculcent: sed inani verborum & argutiarum fuligine perbelle deludant: ità ut cùm quinquennio eosdem habuerint discipulos, abecedarios, & primorum elementorum ignaros, si interroges, comperias: quod quàm

molestum

molestum sit parentibus, qui pecunias non modicas his nutriendis profuderunt, quàm perniciosum illis ipsis, qui illic puritiam in nugis contriverunt, dictu esset difficile. Hujusmodi præceptores verbis interdum piperatis strepunt, præ se cæteros rudes esse, & agrestes prædicant; inanes jactant glorias, ac falsam scientiæ persuasionem sibi induunt, dignósque penè dixerim se judicant, quibus vicatim assurgant omnes. Verùm si propiùs consideres quid utilitatis habeat eorum doctrina, nihil sanè reperies, quod vel fractâ nuce tibi putes emendum. Horum igitur scholis tibi maximè interdicas: præstabilis sapientia virum eligè, cujus sanctitas teneriores puerorum animos ab injuria custodiat, ferociores à licentia gravitas deterreat. Hæc si feceris, nec te sub eo meruisse, nec consiliis nostris acquievisse pœnituerit. Vale. Datum ex ædibus nostris. 16. Calend. Novemb.

EPISTOLA LII.

VItam meam nec unius assis æstimandam putaverim, nisi te rebus meis ac saluti totum devovea, qui nullum amantissimi hominis officium in me prætermiseris: imminet enim capiti meo discrimen, quod, nisi tuo unius patrocinio ac præsidio, vitare non liceat. Nè autem verbis meis defatigatus pertædeat, rem omnem tibi à principio strictim aperire constitui. Celebrabatur nuper convivium, perdicibus, phasianis, coturnicibus, pavis, lepusculis, ferinis, tantísque aliis omne id genus deliciis & esculentis super-

ſuperfluens, ut hujus reſpectu memorabilem Cleopatræ cœnam ſordere dixiſſes. Aderat & trimum nectar, quod jam in ſubterraneis œnopolis penè emarcuerat. Huic ego interfui; affuerunt & plerique multi noſtrates non obſcuri nominis viri. Saturis jam omnibus, ubi depoſitæ epularum reliquiæ, cœperunt protinus (ut moris eſt) cithariſtæ & tibicines peramœnis inſtrepere cantiunculis, atque omnium ità aures delinire, ut jam divorum, nedum regum felicitati inviderent. Naniæ ſurrexerunt, hiſtriones, funambuli, qui multiformi corporum volutatione plurimùm oblectabant: venerunt interdum qui prurientium animos titillarent. Aderat (ut ſemel finiam) omne genus voluptatis, gratáque omnia & jucunda ſupra modum viſa ſunt, præterquam quòd comatuli cujuſdam uno digito caput ſcalpentis, mollicies pleriſque tædioſa ſatìs viſa eſt. Erat enim, qualem fuiſſe Demoſthenem ſcribit Gellius, veſtitu certóque cultu corporis nitido, venuſto, nimìſque accurato, talaribus tuniculis more Lydi cauponantis circumſpectè & compoſitè induebatur. Erant ejus manus inter agendum argutæ & geſtuoſæ: ità ut Dionyſiæ ſaltatriculæ cognomento dignus cum Hortenſio videretur. Quum igitur id omnibus moleſtum eſſe conſpicerem, nullum tamen eſſe, qui ejus rei tædium verbis auderet exprimere, juſtâ objurgatione ſuperfluentem tantis rebus hominem inceſſivi, quod ægrè ferens animo, colaphum mihi protinùs impegit: ego contrà gladio vaginâ excerpto hominem cerdicitùs vulneravi: quo facto, ſalutem mihi

hi fugâ quærere coactus ſum. Vivâtque adhuc an mortuus ſit, neſcio. Quærunt mihi ſatellites ad furcas, ut ſicubi locorum me repererint, de me propediem actum ſit. Venio igitur te oraturus, ut vel me domi tuæ occulas, aut ſaltem viſum tibi, ſi iſthac tranſierint, inficieris. Iniquum eſt, fateor, mendacium perpetrare: Parva tamen (inquiunt Theophraſtus, Gellianus & Livius) vel turpitudo, vel infamia ſubeunda eſt, ſi câ re magna utilitas amico quæri poteſt. Et Chilo ſapiens conſervandi amici causâ de via declinavit, falſum enim conſilium pro ejus ſalute dedit. Pericles quoque rogatus, ut pro amico falſum dejeraret, opus eſt (reſpondit) me amicis commodare, ſed uſque ad aras. Hunc igitur precibus meis locum relinquas velim. Tantum enim me tibi debere fatebor, quantum patri, ſi tuo unius præſidio periculum hoc effugero. Vale.

EPISTOLA LIII.

DEmoſthenes Græcorum eloquentiſſimus, apud Philippum regem Amyntæ filium verba facturus, in ipſo ſtatim orationis limine ſtupefactus obmutuit, majeſtate (ut credibile eſt) tanti viri perterritus. Quod (ut opinor) herì ac nudiuſtertius mihi contigiſſet, dum me colloquio tuo dignatus es, niſi ſtuporem hunc explorata mihi jampridem excuſſiſſet humanitas tua: nam cùm parvulus eſſes, & in re literariâ militares, tantam morum facilitatem præ te tuliſti, tantam in omneis abjectiſſimos, & gregarios inopes benignitatem, ut jam tum primùm, qui ſpem de te quàm optimam futuræ virtutis non

ceperit

ceperit, fuerit nemo. Quo mihi ampliori laude cumulandus videris, qui provectior factus tibi semper constiteris, neque amplissimis honorum culminibus evaseris arrogantior, aut magis insolens: quod qui faciant, albis sanè corvis rariores comperiuntur. Usu enim venire conspicimus, ut à teneris annis permulti dociles videantur pueri: qui ubi collum jugo subtraxerunt, tandem velut pristinæ conditionis immemores, statim superbiant, eósque aspernentur, quibuscum pueri familiarissimè vixerunt: quódque multò deterius est, virtutes omnes abrogent: Neroni hercle persimiles, qui licèt ephebus optimæ videretur indolis, ubi tamen virum egit, tantis támque probrosis vitam flagitiis commaculavit, ut ejus in exitium & mortem non una parari simia, non serpens unus, non culeus unus debuerit. Quod genus hominum moribus quantum tibi interdixeris, vel cæco appareat: qui quanto provectiores annos attingis, amplioribus animum virtutibus exornes. Nam ut exemplo contentus unico, reliqua innumera, quæ sese ubertim mihi offerunt, & ingenium penè obruunt, omittam: quis mansueti ac modesti hominis factum non judicet, quòd me in ludo (quem prius tyronem agnoveris) abjectissimum homuncionem, è quercubus (ut dicitur) & saxis natum, vixque satis dignum, qui pedum tuorum vestigia deosculer, semel & iterum in familiam tuam evocaveris, nunquam de te bene meritum? Quid enim bene mereri posset is, cui nihil est, de eo, cui nihil deesset? Quod si nullo genere obsequii lacessitus fuisset? Credibile est sanè

ſanè te magìs paupertatis meæ & laborum meorum miſereri, quàm operâ & famulitio indigere. Nunc nè paraſiti inſtar verbis titillantibus aures tibi demulcere, aut caput blandiendo confricare videar, ea nunc primùm literis aperiam, quæ mutuo revelare colloquio tua deterruit majeſtas: ubi herì me tecum loquentem timidiuſculum vidiſſes, conceſſiſti (quæ tua fuit humanitas) ut id ſcriptis facerem. Faciam igitur. Percunctatus es me, vellem necne à regendis puerorum gregibus abſtinere, atque iſtinc domum tuam migrare. Nolo hercle iſthîc conſeneſcere: conſensi tamen hactenus, expectans, quò iſtinc evocarer, ac de me bene mererer, non doctrinæ meæ (quæ nulla eſt) gratiâ; ſed paupertatis, quæ magna eſt, intuitu. Hanc ſpem ſuggerebant plerique quibus non ſatisfecisse ſiniſtrè proviſum eſt. Nam, ut cæteros omittam, præceptor meus doctiſſimus, D. magiſter Ioannes Clavimontius, qui rotam aliquam dum iſthîc volutavit, familiæ domini Laudunenſis adſcriptus eſt. Alii etiam permulti, quorum nominibus parco, nè quis me oculis obliquis alienam proſperitatem limare dicat, fortunam ſatis pinguem ſibi fecerunt. Eandem ego aleam dietim expecto, nullius tamen, quantumcunque etiam opulenti, domum intraturus, quem imperitia ac moris non commonuerim. Quoniam igitur tua fuit modeſtia, me evocare, id jam primum omnium non ignores velim, nihil eſſe in me doctrinæ, aut eloquentiæ, quod tibi uſui, vel honorì eſſe poſſit. Si quod tamen ſit in hac re, miniſterium non negligens tibi polliceor, & (ſicut vires ſuppe-

peti-

peditabunt) frequens, atque laborioſum: nam nullum aliud officii genus ab ipſa infantia exercui, in quo operam tibi poſſem promittere: quam ſi pollicerer, & te tuâ ſpe fallerem, & me mendacii convincerem. Noveris ad hæc, me & his moribus præditum, ut oluſculis agreſtibus liber malim victitare, quàm ſervus lautiſſimis eſculentis. Quocirca tibi ſoli & uni obnoxius eſſe velim, ac ſubjectus, omnibus tamen obſequioſus. Præterea, nudus ſum tanquam ex matre, vixque (ut in adagio dicitur) obolum habeo unde reſtim emam. Si tecum fuero, omnia mihi ſuppedites oportet, quæ ad honeſtè vivendum videbuntur utilia & neceſſaria: & quoniam ex famulorum immunditia & ſorditate, domini plerumque arguitur inopia, veſtimentis (ut clericum decet) honeſtis indui peto, non verſicoloribus, aut hiſtrionicis: quæ ſi meo emenda arbitrio voles committere, ſtipendio quantumcunque modico mihi opus eſt. Scio te munificum, & qui famulos terſè, neque tamen compoſitè & venuſtè nimis indutos malis, quàm crumenam immodicis auri ponderibus tumentem. Equum præterea velim ſuis ephippiis ornatum, tuis ſumptibus nutritum: & quoniam, teſte Ovidio, Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt, vellem ut tandem aliquem locum mihi deſignares, ubi muſis ac tibi liberiùs vacarem. Impoſſibile eſt enim, quæ tumultuario fiunt ſtudio, ac frequentibus interrupta diſcurſionibus, multùm eſſe decocta, ac elimata. Hæc omnia etſi ſtudioſè appetam, nihil tamen ardentiùs, & obnixè magìs tuâ benevolentiâ: quam ubi fuero conſequutus, digito cœlum

videbor

videbor attigisse. Quæ omnia eò audentiùs tibi aperui, quò me intrepidum in his detegendis priùs esse jussisti. Postularem, si me susciperes, ut non citò desereres; nisi jam diu mihi compertum esset, eâ te constantiâ præditum, ut quos tecum evocaveris, nunquam nisi volentes deseras. Perpendes igitur, si adhuc hoc mihi condonare libet, placeat nè cne hæc tibi conditio: quæ si displiceat, fortunæ adhuc prioris contentus vivam: ferreus tamen sim utcunque contigerit; lapideus, si unquam tantæ tuæ humanitatis fuero oblitus. Vale.

EPISTOLA LIV.

VIx licet per otium in mense semel tantùm feriarì: tot meæ cervici incumbunt negotia, tot ultrò citróque curis agitor. Sed si aliquando possum aliquid suffurari otii, moris est mihi aliquo me loco recipere, ubi fatigatum labore spiritum revocem, & hujus seculi vanitates & miserias considerem, quod nudiustertius feci. Sed ubi satis apud me sagaci velut trutinâ perpendi, nihil in toto mundo reperi, quod suos non patiatur manes. Reges venenum reformidant: Primates ad ampliora semper obrepunt: Senatores sunt avari, & lucri cupidi: nunquam securè degunt milites, mors propiùs instat, quàm vita: in perpetuis vivunt miseriis agricolæ. Nè multa, nihil est, quod suos non patiatur manes, quódque non sit calamitatibus obnoxium. Quocirca si me consulas quid in hac re sis facturus, te monebo, ut posthabito omni diutino studio exitum

vita perpendas. Nam apertè constat, nihil hâc vitâ esse fragilius: prudenter igitur feceris si tua saluti invigiles. Vale.

Epistola LV.

Nihil pejùs odi, quàm istos hypocritas & philosophastros, qui in opinionem sanctitatis venientes, Catonianam severitatem capillis supercilio breviori-bus paulatim promittunt. Expertus loquor, multos reperias verborum tenus Zetos, qui multa de virtutibus publico theatro exclament, quique omnia vitio dent, aut digna putent incendio: intus tamen sunt pellace vulpe nequiores. Volo, si religionem imitari decreveris, ut sis aperto pectore, & infucatis moribus. In primis da operam, ut talis fias, qualis cupis videri. Non est quòd in me succensere debeas, sed potiùs ames, quòd nullam nomini tuo maculam inuri permittam: insuper quòd dicas te velle amicum habere, quocum liberè omnia, ut tecum audeas loqui; Nullum (si me audias) amicum tibi comparabis, nisi priùs cum eo tres modios salis comederis. Multi sunt in ostio tantùm formosi, & verbis palam amici, qui tamen clanculum serunt insidias. Vale.

Epistola LVI.

Nescio quid sit in causa, quamobrem mihi succenseas: nihil enim me puto fecisse, aut dixisse, aut excogitâsse quidem, quod tibi detrimento sit futurum. Culpavi, fateor, nonnunquam ignaviam tu-

em. Observavi quibuscum versabaris, tuarum rerum sategi: sed alio versum hoc feci, quàm ut tibi nocerem. Tute olim mei in te amoris periculum fecisti. Nisi velis in tua vitia reclamari, alio te divertas: nam quamdiu simul vivemus, nullam tuo nomini maculam inuri permittam: mihi etiam si secùs agerem, summo verteretur opprobrio. Verbis meis passim acquiescas, & bene tibi vertet: omnia ad votum tuum faciam. Non parcas pecuniis meis, atque adeò omnibus domesticis rebus. Hauries à me, velut ab ipso horreo. Sed si cuiquam detrahere velis, ut genialibus tibi indulgeas, nullum à me speres auxilium. Vale.

EPISTOLA LVII.

MOneo te plerunque tuæ utilitatis, & ab omni scommatum injuria nomen tuum vindicare satago: sed dum aliquanti sper mihi tecum loqui licet, aliò divagaris, & (ut dicitur) extra meum sermonem tuæ peregrinantur aures. Non admodum habeberis in pretio, si eo quo cœpisti pede semper perrexeris. Ut enim vicatim compitatimque eos juvenum prædicant omnes, qui rectè consulentibus dociles se præbere non ingravantur: ità & maximo probro datur his, qui amicorum consiliis aures occludunt, aut prudentum exhortationes nihili penitus ducunt. Et cùm unusquisque sibi persuaserat, te ingenio facili & benigno esse, in spem veneram, te nihil detrectaturum, quod suasissem. At (ut video) si rosas loquerer, verba mea nihili quidem duceres. Nescio

ſcio quid ſit in cauſa, quamobrem idipſum facias. Tantiſper enim dum tuâ conſuetudine mihi frui licuit, intimum te ſemper habui: ſed (ut conjicio) illud ipſum eſt. Nemo non novit arduum eſſe, hominem naturâ diſtrictum corrigere. Nequitiæ tuæ aiuturnum indormiviſti ſomnum, & in pectus ſemper obduruiſti: quare, difficillimum eſt, te novâ pelle induere. Vale.

EPISTOLA LVIII.

LAudabile fuit Amaſis Ægypti regis inſtitutum, qui lege ſanxit, ut ſinguli quotannis apud ſuſque præfecturæ præſidem profiterentur unde viverent: quod qui non facerent, extremum illis ſupplicium eſſet pœna. Cui ſanctiſſimæ legi conformis propemodum videtur Gymnoſophiſtarum mos, apud quos impranſi abibant, qui nullum diurni laboris fructum parentibus afferebant. Et apud Baleares Hiſpaniæ inſulas, puer antiquitus cibum à matre non capiebat, niſi quid, eâ monſtrante, ſagittâ percuſſiſſet. Nam ut in Olympia non meretur coronam, niſi qui legitimè certaverit: ità nec dignus eſt vitâ, qui nihil parturit quo teſtetur ſe vixiſſe. In omnibus elementis ità vel Deo placuit, vel naturæ, ut nihil penitus torperet in otio. Cœlum, quo integuntur omnia, cyclo & orbiculari motu ſe volvit. Sol & luna alternatim ſuos motus peragunt, & ſibi cedunt. Hæc noctem illuminat, ille diei præeſt. Venti ſuas tenent regiones, unde flatu ſpirant immobili. Signa Zodiaci alternatim Solis flexum amittunt. Mare quieſcentibus

ventis

ventis tranquillum, iisdem reflantibus agitatur, & suos pisces nunquã non ejicit. Terra sterilis & infœcunda hyberno tempore, vernis & æstivis frugibus otium pensat hyemale. Arbores ac plantæ & tempus aptum fructui ferendo persentiscunt, egerunt botros, & virorem induunt. Ilices & Quercus concipiunt glãdes, Laurus & Oliva baccas, Corylus nuces, Mespylus corna: nec aculeatis quidem dumis, spinis & vepribus cessatio est: nam & rhamnũ, & alios fructus minutissimos pariunt. Sed observemus nobiles vinearum gemmas. Consideremus quantâ fidelitate rerum omnium mater & parens Terra semen sibi commissum regerat, refundat, rependat: quanto fœnore agricolam suum ditet, triticum, siliginem, hordeum, avenam, milium, fabas, pisa, lentes, eruum, lupinam, & alia id genus frumenta & legumina cumulatissimo proventu generans. Quid Annus ipse, quem rerũ nostrarum, & vitæ dimensorem cognoscimus, quando à sua desiit natura? Quis vidit Ver sine violis, Æstatem sine granis & calore, sine pomis Autumnum, Hyemem absque nivibus & pruinis? Nonne succedentes seriatim Menses in suis officiis manent? Quis inversum vidit ordinem? Quòd si hæc omnia naturæ legibus & institutis parent, ut suos semper emittant fœtus, nè pudeat hominem solum, quem tamen præesse omnibus creaturis Dii voluerunt, quiescere, solum putrescere in otio, solum sine fruge consenescere, effœtam solum ætatem præterire, solum sine ullo vitæ ornamento emori. Quis hoc probaret, nisi desit oculus, nisi qui cucurbitas lippit, & inops est

rationis: cùm bruta ipſa cæteráque animantia, quibus deeſt ratio, ratiocinentur unde vivãt, & quantulumcunque laboris ſui teſtimonium nobis omnibus videndum proponant? Alia hominibus proſunt, ſibique charum, & nobis utilem proferunt partum: pauciſſima admodum reperiuntur ſterilia, & quæ nihil omnino in publicum afferant emolumenti. Si quis in aquatilibus fidem requirat, & exemplum; parit Balæna, partúmque lacte nutrit: ova gignit Cephalus: Delphini egerunt fœtus, quos fœmina uberibus & lacte paſcit copioſo. Agunt verè conjugia, pariunt catulos æſtivo tempore. Echini ferunt ova: Hippocampus contra canis rabioſi morſum prodeſt. Sed ad hominis uſum nonnihil operantur. Nec minor eſt in avibus ſedulitas: Aquila pullos probat ad ſolem: qui eum ſuſtinere nequeant, ut degeneres repellit: Columbi bina ova pariunt, maſculum primum, ſecundum fœminam, concipiunt diebus quadragenis: Galli longa edunt ova, rotunda fœminæ; nunciant lucem, & pigros ad laborem excitant: Pavones incubant ovis duodecim: Hirundo quinque pullos parit, quos magnâ paſcit aquitate, incipiens ab eo qui maximus eſt natu, & ità in cæteris ortus habens rationem. Vſque ad cætera deſcendam animantia. Tauri laborem juvant mortalium, & agricolæ ſunt, arántque terram, ex qua fruges demetimus: Oves ſuis lanis nos induunt, lacte vagientes paſcunt infantulos: Apes nobis mellificant: Sues ſe ſaginant ad eſum noſtrum: Canes pro foribus noſtris excubant, greges à lupis, domos à latronibus tutantur: Feles cubicula purgant

gant muribus. Dum oculos circumfero, passim nihil invenio, quod in re aliqua non exerceat naturam, nihil quod otium non refugiat. Quid ergò (ut ad institutum aliquando deveniam) faciendum nobis putamus? Volumus vinci à brutis, quæ ratione, animâ, dignitate, formâ & nobilitate præcellimus? Imitemur potiùs Plinianum illum Apellem, qui nullum diem abducebat sine linea. Caveamus nè similes illi videamur vernæ pigro & ignavo, qui ruri degebat, ut mortuum cadaver in sepulcris. Revolutus est annus, arbores sua poma pepererunt: Ceres agricolæ votis respondit: horti suos carbunculos, suas violas, suos dederunt flores: Racemis suis rubuerunt vineæ, pomis arbores tumuerunt. Soli supersumus, qui annuam nondum frugem protulimus. Reminiscamur opprobrii quod paritura est nobis ignavia, si convincamur desidiæ. Reminiscamur jacturæ, quæ nostris omnium cervicibus impendet, si convincamur ignorantiæ. Expergiscamur socii, surgamus ab otio, ad aratrum convolemus, ad burim, ad ligones, ad vomeres; latremus in aula cervinam pellem, ut tandem in sylvis militemus. Declamemus inter domesticos & privatos parietes, ut in Senatu causam Milonis agamus. Relegemus Catilinam, patrocinemur Cluentio, pupillis obsequamur, explodamus oppressores, consulamus patriæ, & tyrannorum vim reprimamus. Probemus balbutiem linguæ inter paucos, probemus ingenii vires, purgemus linguæ vitiliginem, priusquam eò veniendum sit, ubi supercilioſi sedent consules, nasuti tribuni, oculati prætores, acuti causidici, quæstores

vafri, caterique emunctæ naris homines. Ecce gymnasiarcha aures arrigit; in expectando est quid dicamus; paratus est excipere, quod offeremus; paratus audire, quod recitabimus; nec favorem aut patrocinium nobis excusat modestus comes, & ingeniosus hypodidascalus: cæteri insuper doctrinâ & moribus clarissimi præceptores nostri advertunt favorem, vultum pollicentur, & ridibundis oculis benevolentiam: neque porrò nobis verendum est, nè si quid ornatè parum aut inconcinnè protulerimus, id ipsum protinus crispâ nare subsannent, & aversentur. Non estis doctissimi viri ætatum adeò imprudentes, ut non cognoscatis facilè cum Marco Fabio, suam esse studiis infantiam. Fortissimus quisque edidit aliquando vagitum; & qui coram principibus aut senatoribus magnâ sui gloriâ in omnium admirationem causas oraverunt, priùs tamen fuerunt rudes & alphabetarii. Vultis exigere ab adolescentulo, quod parentem eloquentiæ Ciceronem deceat? Vultis sarcinam dare infantulo, cui Demosthenes succumbat? Habenda est ætatum ratio. Non habet senectus vires juventutis, sed nec juventus consilium senectutis & eloquentiam. Vale.

EPISTOLA LIX.

SAtis certâsti pater, satis militiam secutus es: tempus est ut conquiescas, & ferieris: tempus est ut subtrahas te periculo, & solitâ professione tibi interdicas: tempus, inquam, ut jam doneris rude, & imiteris Horatianum illum Vejanium, qui armis ad

Herculis

Herculis poſtem fixis, domi ſeſe continebat, nè in arenam denuò traheretur. Non eſt tibi formidandum nè non habeas, unde vivas. Tu non es ut plerique gregarii milites, quibus cùm ſtipendia detrahuntur, tenuiſſimè vivunt, & (ut eſt in adagio) digito plerumque ſalinum terebrant. Patri tuo (quod Diis habeo gratiam) abunde eſt auri & argenti. Parentes tui omnes habent affatim divitiarum. Propterea, ſi me amas (ut amas) revertere domum, ut & tranquilliùs vivas, & votis amicorum reſpondeas. Vale.

EPISTOLA LX.

DOluit mihi, quod noſtrates aliqui nuper retulerunt, eſſe ſcilicet neſcio quem nebulonem, qui quotidie me mordet, & famam meam paſſim compitorum vellicat. Eum quæſo moneas, ut (ſi ſapiat) aliò ſuas convertat ſatyras, & me miſſum faciat: nam ſi cerebrum mihi moverit, ego illum à vertice capitis ad plantam pedis ſuis pingam coloribus. Scio non eſſe ſapientis juveniles curare nugas, aut anſerum moveri ſtrepitu. Quis tamen non gravetur iſtum foriolum (qui adhuc quotidie brachas & femoralia percacat, & culcitras omneis cum lodicibus ſtercorat) ſic unicuique obſtrepere, nullâ præſertim laceſſitum injuriâ, nullo everberatum ſtimulo? Hoc ego ſúſque déque ferrem ſi poſtularet ratio. Verùm quoniam fama nec etiam ludum recipit, malo meis ut oppedat naribus, quàm me naſo ſuſpendat, aut poſtilis eludat cachinnis. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXI.

REm novam & auribus tuis non priùs auditam affero, Marce Tulli: Scribit Fabius, eos fractum iri potiùs, quàm posse corrigi, qui in pejus obdurue-runt. Tortellius tamen ille, ille inquam homicida Tortellius, in quo futuram probitatem desperant omnes, ad bonam frugem se recepit, & vitam com-mutavit in melius. Quod in tantam me rapit admi-rationem, ut in hac re quid dicam, nesciam: nisi Euripum tandem posito requiescere cursu, mutatúm-que unâ consistere Protea formâ. Nunquid enim mirum videtur, hominem illum momento, & præter omnium expectationem resipiscere, qui ab adoles-centia (adolescentiâ autem? imò pueritiâ, adhuc lapsus sum, ab ipsis cunis) meram improbitatem, & corru-ptelam cum lacte imbiberat, & nulli non vitio fuerat innutritus: idque adeò, ut jactam de illo aleam præ-dicarent omnes, videretúrque Neronem perpediem induturus. Quod quoniam accidit, rediit in benevo-lentiam parentum. Plura scriberem si per occupa-tionem liceret: quoniam autem nunc non licet, mit-tam ad te crás aut perendie meum mulionem, qui quæ supersunt tibi aperiat: interim vale.

EPISTOLA LXII.

DUrum est mihi studia mea interrumpere: quo-niam tamen multis jam argumentis periculum feci, te esse ex eorum numero, qui accepti semel bene-ficii

neficii nunquam non reminiſcuntur, volo adhuc pleniore obſequio te mihi demereri. Ante omnia ſtudiis tuis conſule, in quibus nè oleum & operam ludas, dicam quid opus facto mihi videatur. Primùm omnium, eorum lectione tibi interdico, qui ſeſquipedalibus & antiquariis quibuſdam verbis ab Evandri ſeculo repetitis ampullantur, quique nihil ducunt pulchrius aut potius, quàm ut affectatâ obſcuritate, & permixtis deditâ operâ gryphis, & hiantem & ſuſpenſum teneant lectorem, & crucem figant ſtudioſis. Pœniteret te lectionis hujuſmodi authorum, quamdiu viveres, qui ſe operæ pretium feciſſe putant, ſi involucra quædam compegerint, quæ Oedipo conjectore, & natatore Delio (ut de ſcriptis Heraclitii dicebat Socrates) indigeant: quibuſque Gordii nodus, labyrinthus Dædali, Sphyngis ænigmata, Numeri Platonici, Licophronis tenebræ, & Saliorum verſus, ſuis ſacerdotibus (authore Fabio) vix bene intellecti, comparari nequeant. Dum hæc ſcriberem, inſperata quædam moramenta me avocârunt: quibus implicitus, interturbatam epiſtolam in diem ſequentem coactus ſum prorogare. Vale.

EPISTOLA LXIII.

EPiſtola, quam herì ad umbilicum traxeram, nunc ad calcem perducenda eſt: quandoquidem otium ſcribendi liberiùs ſeſe offert. Quod etiamſi non adeſſet, adhuc tamen rerum tuarum vellem ſatagere, partim amore tui, partim parentum. Quorum precibus expugnatus, promiſi me aliquid quotidie ſcriptu-

ſcripturum, quod eſſet tibi uſui. Quare ut intelligant me ſtetiſſe promiſſis, hominémque eſſe, quocum ſecurè in tenebris micent, plura præſtabo quàm promiſerim. Deterrebam te nuper ab eorum lectione, qui deditâ operâ antiquariis ſtrepunt vocabulis. Nunc te hortor, ut abſtineas à librorum copia, neque tam variis autoribus ingenium & memoriam confundas. Nam quod ſcribit Fabius, Lectionum varietate reſici ſtomachum, & pluribus cibis minore ali faſtidio, non ibo inficias, modò tamen intelligamus, hominem jam adeò in literis profeciſſe, ut huic labori non ſuccumbat, & ſub ejuſmodi onere vires non fatiſcant. Huic verò labori quomodo poteris ſupereſſe, qui nihil adhuc, aut parùm in bonis literis promoviſti? Commodiùs multò feceris, ſi poſthabitis illis, ex quorum paleis paulum colligitur fructus, unum tibi deligas Ciceronem, quem ſemper velut archetypum feras, cujuſq; ſuccum imbibas, & doctrinam. Nam & Cicero ipſe Terentium (quem familiarem ſuum vocat) ſemper habebat præmanibus: & Cyprianus diem nullum ſine Tertulliani lectione prateribat: Scipio item Africanus Padiam Cyri de manibus non ponebat. Quos ſi imitaberis, rem facies tibi utilem, & mihi jucundam. Vale.

EPISTOLA LXIIII.

QUantum me pudeat puerorum noſtri ſeculi, nec tu credere, nec ego ſatis exprimere poſſem, Fabiane. Permultos enim reperias inverecundos

dos adeò & impudentes, ut quamvìs adhuc ſint elementarii, & abecedarii, jam tamen plurimùm ſibi tribuant, neque aſſurgant illis, qui veteres omne genus ſcriptores multis vigiliis magnâque oleâ impenſâ jam excuſſerunt. Nolo putes deeſſe mihi in hac re teſtimonia, aut me aliquid comminiſci. Nam cùm nudiuſquartus redirem Nucerio, ubi, metu peſtis nullibi non ſævientis, duos & ampliùs menſes fueram ruſticatus, obvium habui quendam puerulum, quem cùm rogâſſem, quò iret, unde veniret, & cujas eſſet: dicere non erubuit, indignum me eſſe quocum verba faceret. Cauſam percunctanti reſpondit, eſſe ſibi circulum & encyclopediam illarum artium, quas in oratore perfecto requirit Fabius: mihi verò tantum eſſe inſcitiæ, quantum ſibi doctrinæ; ac propterea non oportere, ut inter Arcadiæ pecuaria & Muſas, intérque gracuios & olores aliquid eſſet commercii. Pueri inſolentiam demiratus, ſatìs habui conſulere, ut Anticyram navigaret, ibíque ſumpto helleboro repurgaret inſaniam. Vale.

EPISTOLA LXV.

IAm annis plus minus decem Grammaticos ſequutus es, Pauline, neque tamen ab inſcitiæ tenebris pedem eduxiſti: nam cùm ſcribis aliquid aut loqueris, tertio quoque verbo incidis in ſolœciſmum. Neſcio quis excuſationis locus tibi ſit relictus: culpam non potes deprecari, ſi per te ſteterit, quominus profeceris,

ceris. Credo tamen partem culpæ tuis præceptoribus adſcribendam, qui prima rudimenta memoriæ tuæ non inculcaverunt: quique te adhuc implumem ad volatum provocârunt, & Dædalum fecerunt priùs quàm eſſes Icarus. Supereſt tantùm, ut quamvis ſerò, diſcas tamen, & ad prima redeas fundamenta. Noli putare hoc tibi futurum probro, ob ætatem jam provectam. Præſtat in ipſa etiamnum ſenectute reſipiſcere, quàm ad capulum uſque delirare. Non puduit eloquentiæ parentem Ciceronem, poſt multas in Senatu declamationes dare ſe Apollonio Miloni recoquendum: Neque octogenarium Socratem muſicæ vacare. Nec tibi quoque turpe videri debet in ipſa adoleſcentia, atque adeò virili ætate proficere, eáque jacere fundamenta, ſine quibus corruet quicquid ſuperextruxeris. Quòd ſolito breviùs ad te ſcribo, dabis veniam: nam cùm has à me literas nuncius poſtularet, non erat mihi otium ad mungendas nares. Deinceps plura ſcribam: interim ſalvebis ab amico, qui commendat ſe tibi de meliore nota.

Epistola LXVI.

Magna poſteritati fit injuria, gravémque jacturam faciunt bonæ literæ, dum ea ſupprimuntur opera, quæ ſi prodirent in lucem, & eventilarentur, omnes indè frugem caperent. Omnibus enim exploratum eſt & compertum, quantum ſtudioſi detrimentum acceperint in operibus Ennii, Lucilii, Cæcilii, Quadrigarii, aliorúmque plurimorum, ex

quibus

quibus nihil nobis prater nomen relictum est. Non placet mihi eorum scripta circumferri, aut exponi venalia, qui temerè & sine judicio scribunt quicquid in buccam venerit: neque aliquid unquam ad incudem revocant. De his loquor, qui quod rude primùm pariunt, frequenter postea lambunt ursorum more, frequenter incudi reddunt, & severam ubique apponunt limam: quique refrigerato inventionis amore, perpendunt postea, non tanquam authores, sed lectores. Quod te multis jam lituris feciſſe queniam in confesso est, & constans ubique prædicat fama; cur tamdiu eos retines suspensos, qui de te multa sibi pergunt polliceri, quique opera tua lecturiunt certatim, & empturiunt? Non est quòd judiciorum aleam aut maledicorum graphia reformides. Certò scio, omnia ab omnibus probatum iri, quæ ex officina tua prodibunt: cùm etiam quas tumultuariè scribis epistolas, omnes mirentur plurimum, atque adeò tanti faciant, ut rosas loqui videare, & omnia calamistris eloquentiæ compta dicere. Quare non minimo tibi daretur probro si omnium expectationem fraudares ac destitueres. Opus est ergò ut parias quod parturis jampridem. Vale.

EPISTOLA LXVII.

Miratus sum plerumque cur nunc bonæ literæ pessum eant, quæ superioribus annis tanto in pretio habitæ sunt: cur nunc literati nihili fiant, qui quondam æstimabantur maximi, & habebantur rumiuum loco. Sed nihil est quod mirari debeam.

Quondam

Quondam enim artes pretio & honore fovebantur: neque erat qui non assurgeret eruditis: adeò ut maximi quique Principes lucri loco ducerent, in oratorum & poetarum amicitiam venire, & eorum scriptis famam suam ad posteros prorogari, & vindicari à mortalitate. Nunc verò quàm mutata sint omnia, vident omnes. Sic enim sordent & vilescunt literæ, ut non solùm non faveatur studiosis, sed illudatur etiammum. Nam multò pluris æstimantur (cur hoc relinquis inultum Jupiter?) lenones & parasiti, qui Principum aures verbis deliniunt, quique fumos vendunt, qui oleum in auriculas instillant, quàm qui plus olei quàm vini, doctrinæ studio consumunt. Quare non est mirum, literas ipsas in ruinam cecidisse nostro tempore, quo nec seritur literatis, nec metitur. Vale.

Epistola LXVIII.

Audio esse nonnullos, qui credulitatem multarum rerum tibi insinuant, quique maria & montes promittunt, ut amplissimis pollicitationibus te trahant in suam familiam. Quorum verbis delusus jam adeò insolescis, ut te alumnum fortunæ & partum existimes. Cave mi Lentule, ne eorum verbis qui hunc tibi facunt fucum, siniſtrè res tibi cadat, si quid tuâ authoritate feceris. Nescis Philosophorum periculos cum Diogene olera lavare maluisse, quàm cum Aristippo opulas sectari regias? Cur ità quæso? nunquid libertatis causâ? Utinam periculum fecisses, quàm acerbum sit & importabile

alienâ

alienâ vivere quadrâ, & alterius pendere arbitrio. Si hoc eſſes expertus, tu liberam paupertatem opulentæ ſervituti anteponeres. Vide mi Lentule, nè in eorum offenſionem impingas, qui ſibi negotium inſinuant de rebus tuis. Malè audies ſi quid feceris inconſultè. Nihil patimur tibi deeſſe: nemo iſtîc te objurgat: Tu es tui juris: Vivis tuis legibus: Vadis dormitum, & expergiſceris quando lubet: Ludis, cœnas, prandes cùm placet: Quæ omnia tibi auferentur, ſi te feceris mercenarium. Adde etiam, quòd qui te accerſunt, multum fortaſſe de doctrina tua ſibi promittunt: quam ſi opinione repererint minorem, occaſionem protinus inquirent, quâ te detrudant ſuâ domo: & ſi nullam repererint, fabricabunt tamen, & comminiſcentur. Vide quâ fronte hoc perferes: tu, dico, qui ad libertatem natus es, & ægrè ſervitutem pateris. Vale.

EPISTOLA LXIX.

NOlebam tibi aperire, quàm funeſta ſint omnia domi veſtræ: cùm tamen ejus rei gratiâ aures meas precibus onerare non deſinis, deſiderium tuum explebo. Pater tuus inteſtatus mortuus eſt Calend. Januariis: Mater morbo quartana laborat: Fratres tui ſunt podagrici adeò, ut pedibus nequeant ſubſiſtere: Soror tua Lucretia eſt paralytica: Patruus Lentulus laborat morbo comitiali: Statius famulus eſt calculoſus: neptis Eugenia venit in ſuſpicionem lepræ, quam arguunt liuens paulatim caro, rancedo

ſcabræ vocis, articulorum contractio, & rubrì quidam nævi membris omnibus, inſtar botrorum, innaſcentes: Matertera tua Iulia incidit in tantam phreneſim, ut fanatico neſcio quo errore duci, & fœnum in cornu concluſum gerere videatur: Avus tuus intus & in cute paſſim corroditur cancro, neque reperiri poteſt qui ejus morbo medeatur. Famulorum tuorum partim ſunt cardiaci; alii cœliaci: nullus eſt quem præ anguſtia non tædeat vitæ. Si perconteris ut valeat tuus coquus Taratalla, actum eſt de ejus vita, & conclamatum eſt cadaver; vivens jam numeratus eſt in peculio Proſerpinæ, & naulum Charonti præparat. In eo ſiquidem plurima cognovi, quæ evidens mortis argumentum promittunt. Nam ſtragulam complicat, dentes in ſomno colliđit, membra præter decorem detegi non curat. Præterea, ejus labia contrahuntur, oculi glauceſcunt, dentes albeſcunt plus ſolito, oculi ejus fiunt profundiores quàm priùs extiterant, aſpectum auditúmque ſine cauſa reformidat, & ſemiapertis dormit oculis. Quæ omnia ſigna eſſe mortis receptæ fidei authores dicunt. Vide ergò quomodo tam triſti ſpectaculo ſiccis oculis, & ſine lacrymis intereſſes. Supereſt, ut horum deſtitutus auxilio, prudenter tibi conſulas. Vale.

EPISTOLA LXX.

NOn parvâ dignus es notâ, qui aſpectum amicorum ſine cauſa refugias, & videndi tui copiam nemini facias. Quod ſi ſemper feceris, præſtabis culpam ſceleris alicujus, & grandis flagitiì conſcium tibi videberę:

videbere: cujus horrore discedas è medio, & latebras inquiras. Quoniam etiam in suspicionem veniſti, relictis literarum ſtudiis uxorem duxiſſe. Quod ſi falſum eſt, cave nè fiat te pœniteret matrimonii quamdiu viveres. Nam quomodo parares tibi victum? neque arare, neque literas nôſti. Errares ſi quicquam ſperares à tuo patre. Si te videret manum ad ſtipem porrigere, ſi ſanguinem flere, tui non tamen miſereretur: neque obolum tibi daret ad emendam reſtim. Non eſt diſſimulandum, quin ſit aliqua in conjugio voluptas: ſed ſi proſpicienter obſervaveris quàm ſit brevis, quot eam dolores, quanta ſequatur pœnitentia, nuptias vitabis cane pejus & angui. Conſule Hypponactem, qui duos dixit uxoris dies dulciſſimos, Nuptiarum videlicet & mortis. Refer ad Alexandrũ, qui dixit nuptiarum diem multorum malorum initium. Nam ſi pauper divitem duxeris, dominam non uxorem acceperis: ſi pauperem, onus vitæ ferre non poteris: ſi turpem, dolebis: ſi pulcram, habebis communem. Audi quid ſuadet Cheremon: Vxorem (inquit) præſtat efferre quàm ducere. Interrogatus Simonides quid eſſet uxor. Viri (inquit) naufragium, domûs tempeſtas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, pœna quotidiana, pugna ſumptuoſa, beſtia contubernalis, canis ornata, malum neceſſarium. Horum conſilio ſi oculos animúmque admoveris, mutabis ſententiam, & citò calculum reduces. Debes etiam apud te cogitare, multas puellas ſurſum verſum videri formoſas, quæ deorſum verſum nævis & ulceribus crurum ubique ſcatent. Vale.

Epistola LXXI.

Non videatur tibi mirum, si nunc præ lætitia oculus dexter mihi saliat, qui nudius quartus eram totus irrisibilis & agelastus. Accessit mihi quod frequenti voto semper cupiveram. Pater constituerat annos plus quatuor me in scholis captivum tenere: sed precibus amicorum, quos semper meæ calamitatis miseruit, expugnatus, libertatem & exitum mihi promisit pridie Nativitatis Domini. Quòd si præstiterit, Deus sum: Fortunam ipsam anteibo fortunis meis. Nunquid enim servile & miserum tibi videtur in hâc languere carnificina, in qua nullus nisi de inferendis verberibus sermo? Quales putas qui nos eruditunt præceptores? diceres esse plagiarios, carnifices, & tortores vulnerarios inter leænas, inter lupas, & tigres educatos. Si quid fortasse aberraverimus, si tantillum oculos dejecerimus, si vel unguem latum recesserimus ab eorum mandato, totâ vi consurgunt in pœnam. Denudant nos à calcaneo scapularum tenus, lacerant, tundunt, mutilant, pedibus conculcant, parietibus illidunt. Nullum in miseriam nostram non comminiscuntur impietatis genus. Solâ oculorum torvitate & contractione superciliorum nos adeò plerumque terrent, ut mallemus in orci culeum incidisse. Quòdque summæ infelicitatis & extremæ crucis est argumentum, cùm in nos ità sæviunt & debacchantur, non audemus præmetu hiscere, nec My quidem aut Gry facere. Quòd si addiderimus verbum, ictibus pluunt, & colaphis grandi-

grandinant. Tam perimus, quàm qui jugulo implicatam jam habet restim. Excuterem tibi lacrymas, si cætera infortunia ad umbilicum tantùm perducerem. Vale.

EPISTOLA LXXII.

MVlti habent me suspectum latrocinii, quòd nunc sericatus appaream & purpuratus, qui priùs eram mulio & auriga: neque sibi possunt persuadere, tantas sine furto accrevisse mihi divitias, quibus utinam explorati essent labores quos pertuli priùs quàm eò rerum pervenerim: non enim tam facilè de me judicarent, neque mirarentur me tanto erectum è stercore. Quascunque habeo fortunas, Diis acceptas refero; ausim tamen juramento contendere, me meis laboribus plura multò meruisse. Nam ex quo tempore excessi ex ephebis, non recordor diem ullum sine linea prætermisse me; quòd semper subiret in mentem Portii Catonis, qui detestari solebat, si qua dies per incuriam inanis efflux isset, Natus annos quindecim servivi cuidam trapezitæ, moroso supra quàm sit credibile. Nam irascebatur ob rem nihili, ob floccos, ob unguem pravè sectum. Imperabat ad ictum oculi. Conjectare plerumque me oportebat, quid digito crepuret. Si vitrum rupissem, comminuisset mihi caput sandalio. Iratus quandoque aquâ & igni mihi interdicebat. Perferebam omnia, neque me piguit: moriens enim hæredem me constituit, mearum memor obsequiorum. Quas ego divitias non temerè prodegi, ut solent plerique. Nam converti me ad

ſtudia, ubi quamvis adultus brevi tempore adeò profeci, ut ſocios meos relinquerem à tergo, & multis præceſſiſſem paraſangis. Cùm adhuc eſſem rudis, aliquid quandoque dabam muneris doctioribus: neque me pudebat conſulere juniores: cur enim puduiſſet, cùm Socrates philoſophorum optimus, à mulieribus doceri, indignum Philoſopho non duxerit? Diotimam appellare magiſtram, & Aſpaſiam frequentare? Hæc ad te ſcribo Lygurine, ut exemplo meo, dominum tuum tantis obſequiis tibi demerearis, ut tua conſulas paupertati. Vale.

EPISTOLA LXXIII.

QUid habes Pauline? Quid frontem caperas? videris mihi triſtior ſolito: facies tua mœroris promittit argumentum. Compertam habeo tuam naturam. Tu in primore fronte geris affectum animi. Non conſueveras hoc modo me præſente triſtari. Securè potes acerbitatis tuæ virus mihi evomere. Quicquid dixeris, perinde ac theſaurum continebo, & fortaſſe dolori tuo medebor, ſi modo capiat medicinam. Priuſquam occurrebam tibi, mihi arridebas & à tertio uſque jugere porrigebas dextram. Cur ſic te mutatum video? Neſcio an verba mea nuper cum ſtomacho exceperis, quibus te inſimulabam pigritiæ; at ego aliorſum loquebar, quàm ut bilem tibi excitarem. Propterea non ageres amicum, ſi hoc ipſum mali conſuleres. Quicquid dixi prætèr, non propter movendam tibi choleram dixi: ſemper dedi operam nè quid detrimenti ulla in re caperes. Amavi te

à

à puero, & molliter educavi, fovíque semper mitiùs, quàm alumnum suum nutricula; neque gravatus sum studia mea sæpenumero interpellare, ut facerem quæ in rem tuam essent. Quare errares vehementer, si aliam persuasionem indueres. Fac semper mei in te amoris periculum; non invenies me verbo tenus amicum. Si qua in re operâ meâ tibi fuerit opus, ad me semper velut ad anchoram confugias: qui te amet vehementiùs, habebis neminem. Verùm & volo, ut me semper candidum amicum, & infucatum judices. Non sum ex ea hominum nota, qui in ostio tantùm formosi palàm blandiuntur, & clanculùm mordent. Vale.

EPISTOLA LXXIV.

CRedo horam illam fuisse mihi fatalem, & inauspicatam, quâ primùm Lutetiam veni. Antea nihil mihi deerat, habebam omnia ex animi voto. Eram indutus holoserico, byssо, & dalmatico. Nè multis agam, eram totus sericatus. Nunc verò incidi in tantam paupertatem & penuriam rerum, ut me oporteat domesticatim victum & ostiatim emendicare, & manum ad stipem porrigere Vale.

EPISTOLA LXXV.

NUllâ non horâ mihi caveo ab insidiis tuis: nam suspectum te habeo furti, & aliorum scelerum, quæ sunt turpissima relatu, & castas aures offendunt. Nullum fuit mihi frequentius votum, quàm ut virtutem amplectereris: nunc verò de te nullam spem

mihi promitto, omnem in te desperoprobitatem. Nihilominus quicquid ages, cave nè insolescas: & (ut est in proverbio) exuvium leonis induas. Erunt enim qui retundent tibi arma, si secùs egeris. Vale.

Epistola LXXVI.

Quoniam auriculari nuper digitulo te percussi, nullo die (ut multorum verbis ad me perlatum est) maledicere mihi desistis ubique locorum. Quod quare facias, miror summopere. Ea non sunt humani ingenii, mansuetique animi officia. Convitiare tamen ut voles. Si insimulaveris me superbiæ, latrocinii, & aliorum id genus scelerum, non verterim manum. Si animus esset injuriam reponere, & hanc tuam petulantiam retaliare, patet amplissimus dicendi campus. Vale.

Epistola LXXVII.

Satis superque conspicio veracissimam esse paræmiam quâ adversis fortunæ flatibus non esse desperandum fertur, aut in prosperis minimè superbiendum. Compluslos enim videre est gravibus infortuniis exagitatos, quos molli gremio pòst panlò eadem complectitur fortuna. Contrà verò perplures non desunt, quos ab immensis opibus ad humilem pastoris conditionem compellit. Quocirca nosce teipsum, nec tantum tibi tribuas. Vale.

Epi-

EPISTOLA LXXVIII.

QVamdiu fuisti probatis moribus, & spem bonæ indolis præ te tulisti, rebus tuis semper consului: nunc verò quoniam ablegâsti virtutem, & hominum expectationem de te fefellisti, interdico tibi domo meâ. Quòd minaris mihi satyras & mortem, ego has comminationes non facio pluris, quàm fulgur ex vitro. Si quid in me jamdiu parturis, parias quæso. Tanti facio verba tua, quanti nugas obstetricum, & delirantium jam vetularum. Si nihili pendis quod dico, multò minoris æstimo quod facias. Vale.

EPISTOLA LXXIX.

MAlè agis & iniquè, si habes me suspectum insidiarum, aut alicujus in te conjurationis. Hoccine est credibile me in eum insidias parare velle, cui quicquid habeo doctrinæ, acceptũ referre debeo? Nutrivisti me à puero, feciste è servo ut essem libertus, & quod habuisti summum pretium, persolvisti mihi. Næ inhumanus essem, & planè incivilis, si tanta benevolentia excideret animo meo. Parce, quæso, furori tantisper, dum rei veritas innotescat tibi clariùs. Demum si talem me reperias, qualem suspicaris, interdicas mihi domo tuâ, ipsâque adeò consuetudine & familiaritate: nam & ero dignus tantâ notâ. Vale.

EPISTOLA LXXX.

DEmeruisti me tibi multis obsequiis: Dii faciant ut mihi liceat aliquando gratium referre, & agnoscere

agnoſcere beneficium. Si velis fieri certior rerum meárum, contineo me domi, neque ampliùs ſequor militiam; partim quòd hæc profeſſio non videatur mihi magnæ frugis, partim etiam quòd præſenio jam ſim emeritus & donatus rude. Quod rogas ut de fratre tuo bene merear, eúmque ad viam virtutis reducam; illud factu perdifficile eſt: jam enim adeò occalluit in ſua nequitia, ut nulla ſit ſpes ejus revocandæ. Ad hæc, aſpectum meum reformidat ac refugit quantâ maximâ poteſt operâ. Vale.

EPISTOLA LXXXI.

OMnes habent te ſuſpectum ejus homicidii, quod heri perpetratum eſt in ſuburbiis, horam circiter nonam. Si res ità ſe habet, vitæ tuæ non parum timeo. Non ſolùm enim vapulabis à carnifice compitatim: at (quod longè deterius eſt) trahêris ad furcam. Vide quonam modo effugium tibi reperies. Non poteris enim deprecari mortem, ſi quis adverſum te ſententiam tulerit. Præterea judices inſtabunt, ut ratiocineris uſque ad aſſem de pecunia, quam uno abhinc anno temerè prodegiſti. Vale.

EPISTOLA LXXXII.

NOn eſt mirum ſi parentes ignaviam tuam pertæſi, omni ope te deſtituerint; quoniam (ut accepi) tu quotidie pernoctas in alea: præterea inſidiatrices quædam meretriculæ facultates tuas exhauriunt, & crumenam: à quibus niſi caveas, non habebis tandem unde ſatisfacias tuis creditoribus, & ab eorum are te eximas. Vale.

EPI-

EPISTOLA LXXXIII.

SÆpenumero multis periculis vitam objeci, ut ab his te redimerem, quæ videbantur imminere tuo capiti. Nihilominus, si quando opus est mihi operâ tuâ, subterfugis astutè. Utere tuis astutiùs ut voles, futurum enim spero, ut nihil indè fructus consequare. Ad extremum, dabis pœnas tuæ ingratitudinis: nam non est credibile, deos hoc scelus inultum relicturos. Vale.

EPISTOLA LXXXIV.

MIrariquidem satis nequeo impudentiam tuam. Vides corruptissimam tuam vitam probatissimis quibusque viris displicere: tu tamen nihili facis. Cùm adhuc eras puerulus, omnes grande aliquid sibi promittebant de tua indole: nunc verò spem omnem futuræ in te virtutis ademisti. Vive tuis legibus: scies tamen parum frugis ex hac vivendi ratione tibi futurum. Longè prudentiùs faceres, si eorum consilium sequerere, qui tuæ prospiciunt utilitati. Vale,

EPISTOLA LXXXV.

DOlenter & ægrè fero, quòd non facias frequentiùs tui videndi copiam, cùm exploratissimum habeas meum in te amorem. Quotusquisque amicorũ tuorum prospexit rebus tuis vigilantiùs quàm ego? Te oro, utere amico tuo familiariùs. Nulla in re (quam petiveris) repulsam passurus es. Vale.

EPI-

Epistola LXXXVI.

Dii immortales, quàm diversa est hominum natura! Qui hâc tempestate volunt rem augere domesticam, eos oportet assentatores esse máximos, multa dissimulare, habere animum labiis dissentientem: secùs non dabitur locus, aut ratio augendæ facultatis. Proinde, si facilem accessum velis tibi patere ad Principes, inprimis dicendum erit Vale Virtuti, repudianda Veritas, atque etiam probandum grato & plausibili vultu, quicquid illi dixerint aut fecerint; vel si hominem interfecerint. Vide apud te, an justâ paupertate malis vivere, an per nefas ditescere: potior tamen mihi videtur honesta paupertas, quàm congregata per scelus divitiæ. Vale.

Epistola LXXXVII.

Adimam tibi metum in quo nunc es, & explebo animum gaudio, cùm quid tibi dixero quod à receptæ fidei hominibus intellexi. Pater tuus constituerat te exigere suâ domo, exoravi tamen meis precibus, ut propositum hoc immutaret. Da operam, ut eum in amore tui contineas. Nemo enim est mortalium, cui plura debeas, quàm illi. De te (scio) bene merebitur, si hominum expectationem non destituas. Vale.

Epistola LXXXVIII.

Usu plerumque accidit, ut illiterati grammatistæ multò pluris æstiment sese, quàm homines egregiè

giè docti, & oraculorum Sibyllæ interpretes. Quod in te expertus ſum. Luce clarius eſt, & vero verius, te adhuc eſſe elementarium, vixque à tenebris ignorantiæ pedem eduxiſſe: adeò tamen tibi places, & blandiris, ut neminem præ te ducas hominem. Quæſo priusquam ampliùs inſoleſcas, metire te tuo modulo. Putas te dignum grammatici nomine, quòd ineptas quaſdam differentias, frivoláſque etymologias didiceris? Hallucinaris plurimùm ſi tam brevi gyro Grãmaticen concludas: cùm oporteat perfectum grammaticum, Philoſophos, Oratores, Poetas, Juriſconſultos, omne denique ſcriptorum genus excuſſiſſe. Vale.

EPISTOLA LXXXIX.

FRequens fuit mihi votum ac deſiderium, univerſam vitam in bonis literis conſumere: atqui nimia, aut ut verius dicam, Orbiliana præceptoris meò ſeveritas uſque adeò me avertit, & abſterruit, ut certum ſit mihi, porcarium potius aut mulionem agere, quàm diu eam ſuſtinere crucem. Hoc ſi gravatè & dolenter ferat pater tuus, conſule, quæſo, quonam modo poterit occurri aut iri obviám: Sum enim imparatus, neque conſilii locum habeo, neque auxilii copiam, ut ait Terentianus ille Pamphilus; nec ſatis compertum habeo, quod remedium huic malo inveniam. Si ratione ullâ fieri poſſit, cavere volo, nè ea res mihi ſit infamiæ. Vale.

EPISTOLA XC.

QUoniam percontaris ſæpenumero, quomodo res noſtræ ſeſe habeant, volo explere animum tuum.

Illud

Illud primùm ſcito, nobis omnibus proſperè eſſe, lautè & genialiter ſatis vivimus. Unum eſt tamen quod malè nos habet, quia frequens eſt tibi conſuetudo cum perdita neſcio qua muliere, quæ facultates tuas omneis inſtar hirundinis exugit, & teipſum radit uſque ad cutem. Utinam conſultè & rectà reputares viâ quàm fraudulentæ ſint diobolares hujuſmodi meretriculæ; animum tuum (ut conjicio) ad aliud negotium appelleres. Erit quod ſuccenſeamus tibi, ſi in re nihili tantum ſemper feceris ſumptum. Proinde medeare huic malo, & quàm poteris citiſſimè. Vale.

Epistola XCI.

In morte patris fingebas te plurimùm dolere: verùm ea ſolicitudo bidui ſolùm extitit, aut tridui, fuítque ficta, & ſimilis præficarum lacrymis: demum deſiiſti dolere. Tu non refers par pari, ſi jam patris oblitus es, qui tamen nihil unquam tibi deeſſe paſſus eſt. Dabitur tibi magno probro, ſi hæc ingratitudo ad aures hominum pervenerit: propterea fac ut probum decet adoleſcentem. Vale.

Epistola XCII.

Putas te feciſſe pretium operæ, quòd triviales quoſdam verſiculos conſcripſeris: híſque perinde tibi places, ac ſi arduum aliquod opus & Areopagitarum theatro dignum edidiſſes. Te oro per amicitiam noſtram (quæ incœpta à parvis, cum ætate accrevit ſimul) cave nè ſis tibi Suffœnus; aut ſimias imiteris, quæ

quæ ſuos fœtus quamlibèt deformes pro formoſiſſimis admirantur. Non monerem te hujus rei, niſi certò viderem, plus indè futurum detrimenti, quàm utilitatis. Cæterùm audio te quibuſdam flagitiis deditum eſſe & proclivem: à quibus pedem revoces te quæſo. Admodum enim difficile eſt, ab eo ſe malo extricare, cui quis ab ineunte ætate inſuevit, & innutritus eſt. Vale.

EPISTOLA XCIII.

PEtivi abs te decem aureos ſolatos muneri, nullâ quidem coactus neceſſitate, aut indigentiâ, ſed ut animum tuum pertentarem: nam (quod diis habeo gratiam) auri & argenti eſt mihi abundè: paſſus ſum abs te repulſam, quod in magnam me traxit admirationem. Hoc enim ſcio, me meis in te beneficiis meruiſſe, ut fortunas tuas, ipſámq; adeò vitam pro me exponeres. Quid? pollicebaris montes & maria, dicebáſque me tibi eſſe chariorem tuis oculis. Haccine eſt illa benevolentia? Quâ fiduciâ id audes recuſare, quod paulò antè promiſeras? Nunc quoniam explorata eſt mihi fides tua, cave deinceps nè conſpectui noſtro te offeras: facilè carebo operâ tuâ. Vale.

EPISTOLA XCIV.

NEſcio unde tibi creverit hic faſtus, ut abjectiorem me putes quàm quocum verba facias. Primum omnium (quantum conjicio) non ſunt tibi plures animi & naturæ dotes, quàm mihi: ſed ut ſint, debes propterea eò arrogantiæ conſcendere, ut nemi-

nem præ te ducas hominem? Divitiæ tuæ (ut conjecturâ colligo) hoc ſupercilium tibi non induunt. Nam licèt patrem habueris, ut omnium hominum ſapientiſſimum, ità & ditiſſimum: rem tamen domeſticam, juxtà & univerſum patrimonium ſic prodegiſti, ut parum abſit, quin te oporteat emendicare victum oſtiatim. Proinde te oro, Noſce teipſum: nec tantum tibi tribuas, quantum conſueviſti. Vale.

EPISTOLA XCV.

NEſcio quanam ratione factum ſit, ut in odium tuum impegerim: nihil me omiſiſſe puto, quod amicum fidelem deceat. Si fortè conquereris, quòd nihil pecuniarum pridie ad te miſerim, non eſt quòd conqueraris: nam ego & noſtrates ferè omnes tantâ rerum omnium penuriâ laboramus, ut pauci admodum reperiantur, qui habeant, unde vel mediocriter vivant. Propterea non eſt credibile te jam prodègiſſe, quod pridie dominicæ Nativitatis ad te miſimus. Siquid aliud mœroris argumentum te pupugerit, maximè vellem cognoſcere, ut poſſem reſarcire & reparare, ſi qua per me jactura tibi contigiſſet. Vale.

EPISTOLA XCVI.

NUllo ferè non die te moneo atque vehementiùs inſto, ut proficias in bonis literis, quò tuâ doctrinâ modum aliquem reperias vivendi: nam parentes tui emmax vix habent, unde ſeipſos nutriant vel tenuiſſimè. Itaque longè tuâ expectatione falleris, ſi eorum fiduciâ juventutem in torpore conſumeres, & (quod

dicè

dici ſolet) in utramque aurem dormires otioſus. Si nihil promoveris, tu ſolus eris in culpa: neque enim tibi deeſt ingenium, nec item boni præceptores, qui te bonas artes doceant. Vale.

EPISTOLA XCVII.

NIhil unquam mihi reſpondes ex animi ſententia, nec compertum habeo, unde inauſpicatum hoc malum me ſemper conſectetur, niſi quòd aurem præſto nonnullis impoſtoribus, qui amicitiam vultu promittentes, furtim me decipiunt, & lactant; à quibus cùm volo me extricare aut revocare, nequeo: acriùs tum nituntur, & dant operam, ut me trahant in ſuas pedicas. Quod non adeò gravatè ferrem, niſi deciperer à quibuſdam, pro quorum ſalute vitam meam multis quandoq; periculis expoſui. Te oro, ſi quod huic malo remedium queat inveniri, exhibe te amicum: nullum etenim habeo præter te unum à quo ratio meæ utilitatis dependeat. Vale.

EPISTOLA XCVIII.

COnſulo tibi frequentiſſimè, quonã modo te oporteat vivere, quibuſcum verſari, quos refugere, quos imitari. Videris tamen parvi facere quod moneo: nunquam reminiſceris verborum meorum. Hoc unum certò ſcio, neminem unquam extitiſſe, qui proſpexerit rebus tuis vigilantiùs, quàm ego. Dii deæque omnes illum perdant peſſimè, qui primum te divertit, nè virtutem amplectereris: nam (ut videre eſt) adeò te corrupit, & perditis inebriavit moribus, ut liberandi tui nulla ſpes omninò relicta ſit. Vale.

Epistola XCIX.

Videris tibi felix, & (quod aiunt) cœlum digito attigisse, quòd quædam epigrammata & elegias dederis in lucem. Putas enim te magnam ab eo mercedem habiturum, cujus nomini opus ipsum nuncupâsti. Novi hominem intus & in cute, ejúsque mores mihi sunt exploratissimi. Est opulentus quidem, verùm etiam adeò tenax & illiberalis, ut facilius sit elicere aquam ex pumice, quàm ex ejus crumena plumbeum nummum extorquere. Si speras blandis verbis ipsum ambire & inescare, nihil agis. Aurem facile præstat adulationibus & parasitis: sed semper palpum obtrudit. Vale.

Epistola C.

Quid habes Nucerine? dissimulas & supprimis dolorem tuum quàm potes maximè, & adulterino quodam risu lætitiam promittis: est tamen aliquid quod intus te torquet pessimè. Ubi primùm te aspicio, arguo protinus animum tuum ex ipsa fronte. Mi animule, si me amas, noli te macerare. Cùm te video vultuosâ facie, & obductis supercilijs, lacrymis nequeo temperare. Potes citra metum arcanum mihi tuæ mentis committere. Non est enim (quantum conficio) in tota mortalium vita, qui magìs honori tuo & famæ timeat, quàm ego. Quod si nondum satìs explorâsti, experire certiùs, cùm voles. Vale.

Epistola CI.

Verba tua atque etiam mores magnopere mihi placent, adeò inquam placent, ut incredibilis

voluptas

voluptas accreſcat animo meo, cùm jucundiſſimo tuo aſpectu frui licet. Aliquantulum tamen diſplicet immoderata loquacitas, nec mihi tantùm, at etiam pleriſq; magnæ celebritatis hominibus. Si velles aurem præſtare meo conſilio, parciùs loquereris. Nam magna & heroica homini virtus, linguam cohibere, in conviviis maximè: ubi cùm quis impudenter loquitur aliquid, aut inconſultè, non caret ebrietatis ſuſpicione. Apertè omnia dico: bene enim mihi promitto de tua benevolentia juxtà & humanitate, ut exiſtimem te æquì bonique conſulturum, & non laturum ægrè, ſi vel acerbiſſimè te objurgavero. Vale.

EPISTOLA CII.

DIci profectò nequeat, quàm dolenter & ægrè tulerim, quòd toto triennio, quo Lutetiam habitas, ternas tantùm literas, ad me miſeris, & eas quidem breviſſimas. Quid? quo tempore diſceſſiſti à nobis, jurabas te ſcripturum unoquoque menſe. Vide quomodo conſtiteris tibi. Natu es egregiè malus, dignúſque multis plagis & cicatricibus, quòd jam memoriâ tuâ exciderint, qui rerum tuarum ſemper & ubiq; ſatagerunt. Emoriar, niſi te pœniteat tuæ ingratitudinis. Si unquam videro te ad eam rerum inopiam redactum, quâ aliquando elaborâſti, non miſerebor tui, vel ſi ſanguinem fleveris. Vale.

EPISTOLA CIII.

NEmo eſt qui te nimiæ temeritatis non arguat, quòd adeò ſuperbè & elatè reſpondeas ſena-

toribus, nec injuriâ sanè. Periculosum est enim in eos temerè murmurare & obloqui, penes quos vita nostra juxtà & mortis pendet potestas. Jam hoc idem tibi prædixeram antè paulò, quàm discederes à me. Te oro si antehac imprudenter vitam instituëris, ut posthac in teipsum descendas, & tuo te pede metiaris. Quicquid dico, sine felle dico: nam quamvis infra meritum, & citrà quàm debuisti mea in te benevolentia responderis, non possum tamen non benevolè te hortari. Cùm nuntius tuas ad me literas deferet, non pergat amplius ad antiquum meum domicilium. Nam habito è regione Gymnasii Navarrensis, ubi nemo est qui à secundo jugere mihi non assurgat, ob eam doctrinæ & virtutis opinionem, quam de me conceperunt omnes. Vale.

Epistola CIV.

Fuit nescio quis apprimè tibi familiaris, qui vitã tuam omnem ab ipsis (quod aiunt) crepundiis mihi enarravit. At nihil vel modicâ dignum de te gloriâ intellexi, præterquam quòd abstemius vivis, Nullo ferè non die aleam protrahis in mediam noctem. Supra modum & messem tuam sumptũ facis, & ultrà quàm tui parentes opinentur. Fieri nequit, quin pessimè tibi vertat si voluptatibus semper indulgeas, ut hactenus consuevisti. Non ignoras te Lutetiam profectum esse, præter propter voluptates & ludos. Non respondes parentum de te opinioni: meam ipsius spem fefelliſti maximè. Huc usque merui de te suprà quàm debui: amavi ultrà quàm tibi persuadeas. Verùm nisi ab hujusmodi vanitatibus pedem revoces, ego relinquam te

omnẽ

omni ope destitutum; & interdicam tibi domo meâ. Vale.

EPISTOLA CV.

VTinam esset mihi otium ab his occupationibus, quæ me nullâ non horâ interturbant, & ferè obruunt. Facerem ut intelligeres, quantum nomini tuo tribuam. Aliquot abhinc diebus misi ad te nonnihil pecuniarum, plus multò propediem missurus. Utrùm autem acceperis, necne, clam me est. Si non acceperis, per me non stat: dedi enim cuidam homini, qui probatæ admodum fidei mihi videbatur, átq; etiam dignus quovum in tenebris tutò & citra scrupulum micare possem. Porrò desine quæso litigare cum Ligario. Certiùs & exploratiùs nôsti hominem, quàm ut depingi tibi debeat. Mores ejus domesticè tanquam tuos ungues tenes. Præterea vulgò dici solet, Gallinaceos in suo sterquilinio plurimum valere. Si unico verbo factionẽ cum eo susceperis, fretus parentum fiduciâ interficiet te. Cæterùm si Codrus domum tuam se contulerit, cave maximè nè eum intromittas. Secùs si feceris, te pigebit facti. Nam primâ (quâ mecum jacuit) nocte, pannos, culcitram, pulvinar, lodicem, suppedaneum, braccas, cothurnos, soccos, cæteráque id genus vestimenta (honor sit auribus tuis) turpissimè percacavit, & stercoravit.

EPISTOLA CVI.

PVtabam eum animi candorem esse tibi congenitum, ut nunquam vellet aliquid in me fraudis comminisci. Ubicunq; enim occurrebã tibi, tu pellace

vulpe benignior blandiebaris mihi, & arridebas. Nunc verò apertè video, te hominem esse fraudulentum, & nigra (quod aiunt) caudâ, atque animum habere à linguâ & labiis dissentientem, & procul remotum. Nam cùm pericula multa me circumstèterunt, non solùm non subvenisti amico, at etiam amico de industria nocuisti. Nunquam per deum Herculem quiescam ex animi sententia, quin te cumulatissimè, & cum multo fœnore retaliavero. Quinq; anni jam præterierunt, ex quo abundè, & ambabus (ut aiunt) manibus omnia tibi suppeditavimus: at si te oporteret victum emendicare, non extorqueres à me nummum plumbeum ad emendam restim. Vale.

EPISTOLA CVII.

QVotidie ferè convertis omnium in te oculos, quòd sericatus appareas, superbiúsq; induaris, quàm ut fortunam tuam & facultatem deceat. Et, (quod est extremum dementiæ) quod omnes vertunt crimini, tu laudi tribuis. Legistine unquam, hominũ inconsultissime, probro datum esse Quinto Hortensio Oratori, quòd compositè circumspectéque & multa cum munditia indutus esset? Tu capillos unguento delibutos pectis ad speculum. Unico digitulo (quod aiunt) caput scalpis. Insuescis lecticæ & plumis Sardanapali. Oculi tui sunt ludibundi & ebriosi, manus inter agendum gestuosæ. Putas hæc omnia carere suspicione mali, quòd per fœditatem nominare non licet. Si me amas, & honori tuo vis prospicere, abstinuas à nimia illa corporis elegantia. Vale.

EPI-

EPISTOLA CVIII.

SOlus sum quem diligunt Dii immortales, si nulla ægritudo voluptatibus meis interceſſerit. Pater meus (quod Diis habeo gratiam) proſperè ſe habet & pugilicè. Mater abundè pecuniarũ mihi attulit. Quid queam expectare majus, aut felicius? Si fortè fortunâ aliquis me morbus invaſerit, ſub manu & dicto citiùs præſtò aderunt infiniti medici, qui morbo meo medeantur. Vnum tamen eſt duntaxat, quod me excruciat miſerrimè: Ego ſum planè ignarus; literas nè à limine quidem ſalutavi, aut primoribus deguſtavi labiis: hoc ſi carerem infortunio, cæteros mortalium præ me uno infeliciſſimos crederem. Vale.

EPISTOLA CIX.

DVm quid ſcribis, opera tua tibi rident adeò, & blandiuntur, ut digna protinus exiſtimes quæ & eventilari, & in lucem prodire debeant. Qua in re non parùm timeonè ſis tibi Suffenus, ac ſimias imitere, quæ ſuos fœtus quamlibèt deformes pro formoſiſſimis admirantur. Si ſaperes, ab alieno potiùs arbitrio penderes, quàm tuo. Cave nè his aurem præbeas, qui te magnis laudibus palàm efferunt, omnéſq; Latinæ linguæ principes præter unorudes & agreſtes eſſe prædicant: clam verò medio te monſtrant digito. Fallaces hoc genus paraſiti perbellè tibi imponunt, & te molliter ineſcant, ut aliquid ſemper trahant in ſuam neſſam. Finem faciam huic epiſtolæ, nè verbis meis defatigatus pertædeas: quamvis juſtâ te objurgatione

inceſſam. Si peregrinaris ut valeam, bene ſanè. Nulla eſt ægritudo, quæ animi mei ſerenitatem obnubilet, præter tuam illam cæcitatem. Hoc ſi abeſſet malum, cætera lætus eſſem. Vale.

EPISTOLA CX.

ANtea cùm accerſebam te domum meam, à tertio (quod dici ſolet) jugere & ſtadio mihi arridebas eorum omnino ſimilis, qui in oſtio tantùm ſunt formoſi, videntúrq; pellace vulpe benigniores. Nè multis agam, adeò blãdiebaris, ut indubitatâ fide omnia de te mihi promitterem. Nunc tamen apertè video, te ex eorum eſſe numero, qui montes & maria pollicentur, demum ubi res ipſa poſtulat, nihil omnino præſtent. Abhinc paucis diebus te oravi, ut aliquid contra jus & æquitatẽ ageres, ut eximeres me à quodam periculo quod imminebat capiti meo. Reſpondiſti nulla omnino de cauſa declinandum eſſe de via, etiamſi amici crebris efflagitârint convitiis. Sed dic mihi, hominum æquiſſime, unde nova iſthæc religio in te inceſſit, & ſuborta eſt? Chio præſtabilis homo ſapientiæ, Numquid conſervandi amici gratiâ falſum dedit conſilium? Numquid & Pericles promiſit ſe accommodaturum amicis uſq; ad aras? Sed de his hactenus. Si quando acciderit tempus quo indigeas operâ meâ, tu talionem accipies. Vale.

EPISTOLA CXI.

LOngè tua te fallit opinio, ſi putes nos aulicos cæteris mortalibus eſſe feliciores. Nos quidem lautè & genialiter vivimus. Habemus affatim divitiarum, induimur byſſo & purpurâ, ſuperbè & plùs quàm

quàm tragicè incedimus palàm populo. At multi forinſecus magnam præ ſe ferunt & promittunt opulentiam, quibus res eſt anguſta domi, & curta ſupellex. Alii uſque adeò obruuntur are alieno, ut ipſam quoq; debeant animam. Præterea putáſne ſub elegantiſſimis noſtris tuniculis multam ſordem quandoq; deliteſcere? Plerique intus & in cute à calce ad verticem capitis ſunt ſcabioſi. Alii omnino podagrici, & membrorum impotes, & (quod in maximam miſeriæ partem repono) vivendum eſt nobis non arbitrio noſtro, ſed alienâ (ut aiunt) quadrâ. Siquis noſtrûm in morbum quemlibet gravem inciderit, nullo penitus indicio dolorem ſuum audebit exprimere, nè rideatur ut mollis, & effœminatus. Præterea (ſi me audis) noli commutare ſolitam tuam profeſſionem. Vale.

EPISTOLA CXII.

CONquereris, & plus nimio, quòd nudiuſquartus brevem quandam pecuniam amiſeris: quod me maximè reddit mirabundum, cùm præſertim levis & impœnitenda ſit jactura, & quæ nullo ferè labore compenſari queat, & reſarciri. Studerem tibi dolorem hunc excutere, niſi vererer mea verba tibi fore irrita. Si velis rependere hoc detrimentum, quare non reverteris ad priſtinam profeſſionem, cùm præſertim ea ſit quæſtuoſa & exploratiſſimæ commoditatis? Aliud eſt, quod te monitum velim. Cùm quis in odium tuum impegit, in eum protinus rultàs, & evomis quicquid in buccam venit. Contrà verò cùm quempiã amicum tibi delegiſti, primâ ſtatim fronte pate-

patefacis intima tuæ mentis arcana. Te oro ex consilio Chilonis, sic ames, tanquam aliquando osurus; hactenus demum oderis, tanquam posteà amaturus. Vale.

Epistola CXIII.

IN aprico nuper quiescebamus ego & pater tuus; cùm autem nihil fabularemur, accessit protinus nescio qui nuntius, agrestis planè & inelegans, qui prædicabat se familiarissimum tibi fuisse, & eidem præceptori operam dedisse. Propterea percontati sumus, ut valeres, atq; in literis profecisses. Respondit ille, te mortalium omnium pigerrimum, & (quod aiunt) Epimenidis somnum tua indormire negligentia. Id ubi primùm pater tuus intellexit, turpibus in te verbis & indignis relatu temperare non potuit. Si vis ut eum in amorem tui revocem, expergiscere, & ab ejusmodi usta, quàm maximè poteris cave. Vale.

Epistola CXIV.

CONtrahis tibi pessimum nomen, quòd nihil habeas frequentius in ore, quàm verba obscœna, & quæ castas aures offendunt maximè: & (ut nihil dissimulem) non desunt qui ex ea procacitate linguæ, & illoto sermone, mores tuos arguant & metiantur, dicántq; vitam ipsam orationi respondere. Non est quòd mihi succenseas, si te benevolè & amicè corripiam: quoniam nostra omnium aures jam calent turpissimo illo rumore, qui passim de te circumfertur. Cave tibi, nam si nota illa diutiùs increverit, nunquam eluetur, & tu ipse vix poteris in bonam vulgi opinionem introrepere.

trorepere. Nemo eſt parentum tuorum, quem tanta non pudeat turpitudinis. Et certè periculum eſt, nè turpiſſima tua vita deſinat haberi in pretio. Vale.

EPISTOLA CXV.

PAter tuus graviter & iniquo animo tulit, quòd audiverit nullum eſſe tibi frequentius votum, quàm ut uxorem ducas: nec dubito, quin peſſimè tibi vertat, niſi enitaris qualicunq; viâ irrepere ad demerendam ejus benevolentiam. Sed dic per deos omneis, unde nam tibi inceſſit mutandæ conditionis deſiderium? Non ignoro multas eſſe in tua profeſſione miſerias; verùm hæ majoribus emolumentis penſantur, & obliterantur. Eâ cauſâ ad te ſcribo, ut te à propoſito divertam, & abſterream: certiùs enim quàm tu videò quantam facturus ſis jacturam, ſi ab ejus mandato vel unguem latum receſſeris. Vale.

EPISTOLA CXVI.

OLim cùm quid ad me ſcribebas, epiſtolæ tuæ legebantur palàm, & ſine ullâ vitii ſuſpicione circumferebantur. Nunc verò cùm quid ſcribis, manifeſtarius error tertio quoque verbo deprehenditur. Quæ in re homines non ſolùm multâ lectione exercitati, at etiam tenues, & obſcuro loco nati te deridebunt: neque eſt quiſquam aure adeò ſurdâ & jacenti, quin facilè perſpiceat, & animadvertat hanc inſcitiam. Timeo nè longa ſtudiorum deſuetudo hac barbarie te contaminaverit. Si velis redire ad intermiſſum interruptúmq;, & interpolatum calorem, erit quod ſperemus

te

patefacis intima tuæ mentis arcana. Te oro ex consilio Chilonis, sic ames, tanquam aliquando osurus; hactenus demum oderis, tanquam postea amaturus. Vale.

Epistola CXIII.

In aprico nuper quiescebamus ego & pater tuus; cùm autem nihil fabularemur, accessit protinus nescio qui nuntius, agrestis planè & inelegans, qui prædicabat se familiarissimum tibi fuisse, & eidem præceptori operam dedisse. Propterea percontati sumus, ut valeres, átq; in literis profecisses. Respondit ille, te mortalium omnium pigerrimum, & (quod aiunt) Epimenidis somnum tua indormire negligentia. Id ubi primùm pater tuus intellexit, turpibus in te verbis & indignis relatu temperare non potuit. Si vis ut eum in amorem tui revocem, expergiscere, & ab ejusmodi vita, quàm maximè poteris cave. Vale.

Epistola CXIV.

Contrahis tibi pessimum nomen, quòd nihil habeas frequentius in ore, quàm verba obscœna, & qua castas aures offendunt maximè: & (ut nihil dissimulem) non desunt qui ex ea procacitate linguæ, & illoto sermone, mores tuos arguant & metiantur, dicántq; vitam ipsam orationi respondere. Non est quòd mihi succenseas, si te benevolè & amicè corripiam: quoniam nostra omnium aures jam calent turpissimo illo rumore, qui passim de te circumfertur. Cave tibi, nam si nota illa diutiùs increverit, nunquam eluetur, & tu ipse vix poteris in bonam vulgi opinionem introrepere.

trorepere. Nemo eſt parentum tuorum, quem tanta non pudeat turpitudinis. Et certè periculum eſt, nè turpiſſima tua vita deſinat haberi in pretio. Vale.

EPISTOLA CXV.

PAter tuus graviter & iniquo animo tulit, quòd audiverit nullum eſſe tibi frequentius votum, quàm ut uxorem ducas: nec dubito, quin peſſimè tibi vertat, niſi enitaris qualicunq; viâ irrepere ad demerendam ejus benevolentiam. Sed dic per deos omneis, unde nam tibi inceſſit mutandæ conditionis deſiderium? Non ignoro multas eſſe in tua profeſſione miſerias; verùm hæ majoribus emolumentis penſantur, & obliterantur. Eâ cauſâ ad te ſcribo, ut te à propoſito divertam, & abſterream: certiùs enim quàm tu videò quantam facturus ſis jacturam, ſi ab ejus mandato vel unguem latum receſſeris. Vale.

EPISTOLA CXVI.

OLim cùm quid ad me ſcribebas, epiſtolæ tuæ legebantur palàm, & ſine ulla vitii ſuſpicione circumferebantur. Nunc verò cùm quid ſcribis, manifeſtarius error tertio quoque verbo deprehenditur. Qua in re homines non ſolùm multâ lectione exercitati, at etiam tenues, & obſcuro loco nati te derident: neque eſt quiſquam aure adeò ſurdâ & jacenti, quin facilè perſpiceat, & animadvertat hanc inſcitiam. Timeo nè longa ſtudiorum deſuetudo hac barbarie te contaminaverit. Si velis redire ad intermiſſum interruptúmq;, & interpolatum calorem, erit quod ſperemus

te

te nonnihil profecturum: at si diutiùs insueveris huic negligentiæ, jacta est alea; nos de te omnino desperamus. Vale.

Epistola CXVII.

Multi & sapientiâ & auctoritate præditi conqueruntur sæpenumero, de quibusdam scioli ineptissq; & diabolaribus grammatistis, qui pedibus (quod aiunt) illotis ad sacrosanctas legum et Philosophiæ disciplinas divertunt, aut frequentibus auditoriis palàm profitentur; cùm tamen nihil unquam bonarum literarum, nisi fortè in transcursu, degustaverint. Sunt etiam (proh Jupiter) qui Platonem legere velint, non vitæ ornandæ, sed linguæ orationisq; comendæ gratiâ: nec ut modestiores fiant, sed lepidiores. Utinam, utinam jactanticuli isti nebulones, nugarum tenus docti, inniterentur vestigiis discipulorũ Pythagoræ, quorum nemini priùs licebat aut commentari, aut verba facere, quàm factus esset eruditus silentio. Horum igitur periculo tibi magnopere cavendum est, nè conscendas altiores disciplinas, quæ & ingenii & doctrinæ captum longè exuperant. Vale.

Epistola CXVIII.

Dolui jampridem, atq; in dies ingravescit animi mei ægritudo, quòd universum patrimonium vix toto vertente anno prodegeris. Pater tuus nunquam minoris cœnavit, quàm decem aureis: nunquã minoris habitavit, quàm decem millibus aureorum. Tamen ex tot tantisq; opibus, quas reliquit moriens,

vix

vix ſupereſt urceus, aut fictilis lagena. Sed certè nil mirum: vili enim vendidiſti, quod magno emerat. Multi me præſente ſtultitiæ te inſimulârunt: ſemper tibi patrocinatus ſum: ſed noli deinceps expectare patrocinium meum, dum te videro immutatum. Vale.

EPISTOLA CXIX.

VIderis ex eorum eſſe numero, quì cùm nihil refert, pudent, ubi verò pudendū eſt, tunc eos deſerit pudor. Nudiuſquartus cùm inſimulavimus te ignorantiæ, protinus demiſsâ fronte erubuiſti. Vbi verò adulteria tua in medium protulimus, culpæ tuæ patrocinari cœpiſti; tantum abeſt, ut pœnitentiâ ducereris. Miror quâ fronte tot probroſas de te contumelias perpeti poſſis. Bis ad ſubſellia judicum tractus, extremâ ſtetiſti fortunâ, & ità deceſſiſti: non quòd innocens credereris, ſed nè judices pejerâſſe dicerentur. Cave nè divina ultio (quæ lento gradu ad vindictam ſui procedit) ampliori exitio te reſervet, tarditatémq; ſupplicii gravitate compenſet. Multis enim fortuna parcit in pœnam: & quem ſæpe caſus tranſit, aliquando invenit, ut inquit ille. Vale.

EPISTOLA CXX.

FRater tuus publicè profitetur Æneidem Virgilii, magnâ doctrinæ ſuæ oſtentatione: utinam tanto auditorum fructu & plauſu. Non ſatìs ſcio quam gratiam inde relaturus ſit, nihilominus tanta eſt diſcipulorum noſtri temporis ingratitudo, ut ubi primùm diſceſſerunt à conſpectu præceptorum, ſtatim

obli-

obliviscantur veteris beneficii, neque agnoscant per quos profecerint. Expertus & sciens loquor. Multi enim ex officina & umbraculis meis prodierunt, qui nunc me nihilo pluris æstimant, quàm porcarium, aut mulionem abjectissimum. Qui de ingratis bene merentur, hoc frugis referunt. Cæterùm, quòd me consulis, an debeas aulicam sequi vitam: si me audis, immorare solitæ tuæ professioni: nec induas tibi aureas illas & fucatas compedes. Melior est enim libera paupertas, quàm vel opulentissima servitus. Vale.

EPISTOLA CXXI.

CUm te obiurgo, & impietatis insimulo, quòd rarissimè proficiscaris ad templum, culpam tuam excusas, causarisq; te esse podagricum. Eo morbo proximè ágitatu, aut etiam æquè (ut juxta mecum ipse nôsti,) laboro: neq; tamen mihi satisfacto, aut apud me conquiescere possum, quin tertio quoque die templum adeam, votivas preces Deo immolaturus, persoluturus & oblaturus. Nemo est æquè spernendus, quàm qui pietatis obliviscitur & religionis. Amo te plurimùm, nec hodie vivit quisquam mihi amicior ac tu. Nisi tamen prospexero te alio ingenio atque olim fuisti, fieri vix poterit quin amicitia nostra refrigescat & minuatur. Vale.

EPISTOLA CXXII.

VErum est quod scribit Lucanus, Nescia plebs jejuna timere. Quoniam magna est rerum omnium penuria, & incredibilis annona caritas, multi qui labore

bore & quæstu suæ professionis quærìtare sibi victum nequeunt, coguntur ad latrocinia & expilationes divertere, aut viatoribus insidias moliri: licèt certò videant se suspensum iri, si corripiantur. Sed quid faciat? fames est adeò intolerabilis, & malesuada, ut ad quodvis discrimen vitæ perferendum propellat. Ego & aliquot alii nuper ibamus rusticatum colligendi animi gratiâ: vix aberamus à Lutetia iter quinque stadiorum, cùm ibi protinus quatuor sanguinarii grassatores, in dumis & vepribus delitescentes, in nos præter spem impetum fecerunt, animo malevolo & gladiatorio; quibus nisi intrepidè & aperto Marte restitissemus, actum erat de nostra omnium vita: nec tamen usque adeò vitam tutari potuimus, quin unusquisque nostrûm aliquod vulnus acceperit. Hoc innuit, eos non satìs prudenter sibi consulere, qui foras proficiscuntur soli, nisi suprema quadam necessitas adurgeat. Vale.

EPISTOLA CXXIII.

INcredibile videndi tui desiderium jampridem me tenuit, adeò ut nulla nox pratereat, quin imago tua oculis meis obversetur & oberret. Et si liceret citra ullum discrimen ad te commigrare, commigrarem protinus, viámq; ipsam (quod aiunt) raptim devorarem. Sed multa sunt, quæ ab hoc animi mei desiderio me remorantur, & avocant. Nam præterquam quòd agrè hodie, & difficulter vivitur ob magnam annonæ caritatem, multi ubìvis locorum reperiuntur milites, aut (ut verìùs dicam) grassatores. Literis tuis

scire

Literis tuis scire velim, quonam modo vivant vestrates. Nam qui apud nos degunt multis miseriis & calamitatibus obruuntur. Et nisi dii immortales res nostras clementiùs intueantur & custodiant, periculum est, nè iniquissimè nobiscum agat fortuna. Vale.

EPISTOLA CXXIV.

LIberares hanc urbem magnâ fœce & perditorum hominum colluvie, si eos tecũ foras duceres, qui nullo non die de nostro omnium interitu cogitent, & machinentur, atq; etiam eorum saluti fortasse prospiceres. Nobiscum enim domum versari nequeunt, qui vitæ omnium & cervicibus parant insidias. Et si qui fortè fortunâ remanserint, observabuntur vigilantissimè, multísq; præsidiis opprimentur, nè commovere se contra Rempublicam possint. Nemo te habet suspectum conjurationis. Si alienus est animus tuus ab hominum expectatione, muta mentem: mihi crede. Etenim tenebris undiq; & luce clariora nobis erunt consilia tua omnia. Vale.

EPISTOLA CXXV.

QVod ad me tribus abhinc diebus misisti opus, formosum satìs & elaboratũ, supernè mihi visum est: ipsũmq; (ni fallor) grande aliquid profitetur, & inauditũ. Vereor tamen, nè non sis ubiq; similis tui. Si me audis, cave nè quid facias Horatiano monstro simile, néve vnũ & alterũ assuens pannũ, ad intempestivas digressiones prodigaliter evageris. Lectores enim risũ tenere nequeunt, cùm quis ab ipso principio verbis sesquipedalibus ampullatur, demum remisse

remisso, & languente paulatim stylo serpit humi. Stude brevitati quantâ maximâ poteris diligentiâ, modò tamen propterea non fias obscurus. Cave ab ampullosis illis & confragosis dictionibus, sed eatenus, ut propterea nervi & animi non deficiant. Vale.

EPISTOLA CXXVI.

TAntorum scelerum te notant omnes, ut si vera sint quæ de te passim prædicantur, sperem te propediem damnatum iri capitis. Nemo est quem tuæ turpitudinis corruptissimæq; vitæ non pudeat: ubi tamen tuæ salutis quis te monet, verba fiunt mortuo. Nihil meâ refert satagere rerum tuarum: cùm tamen reminiscor periculi cervici tuæ imminentis, non possum non misereri. Cùm ad judicum subsellia protrahêris, tuorúmque vitiorum accusabere, inficiare quantum voles, verba tua non habebunt fidem: præterea facillimum erit convincere: pridem enim facta tua turpissima omnibus innotuerunt, & venerunt in apricum. Vale.

EPISTOLA CXXVII.

PAter tuus ægrè satis & indignanter tulit, quòd audiverit te bonam ætatis partem contrivisse in humanis & politioribus literis, in quibus nihil est omnino frugis, nullum penitus emolumentum; sed illectrices tantùm, & velut quædam verborum meretricula, quæ nihil aliud prosunt, quàm aures titillant, & inebriant. Certiùs nôsti, quàm ut moneri debeas, quàm curta sit domus vestra supellex. Non est quòd à patre amplissimas divitias tibi polliceare, nisi tuâ

unius industriâ tibi ipse fabrices fortunam. Quare, si sapis, converte animum ad alias artes. In his enim tibi nec seritur, nec metitur. Quod autem scribis de perdito quodam nebulone, qui passim tibi detrahit, vis audire quid sentiam? Bibe surdis auribus omnia ejus convitia, patere etiam si tuis oppedat naribus. Si enim velles eum retaliare & eâdem repercutere maledicentiâ, periculum esset, nè insanum eum redderes, qui tantùm desipit. Vale.

Epistola CXXVIII.

PRidie cùm redisti Lutetiâ, putabas amicos omneis obvijs ulnis tibi gratulaturos, tuúmque adventum admodum plausibilem fore. Nihilominus nemo omnium repertus est, qui tibi arriserit; imò verò cachinnum sustulerunt omnes. Causam si percontaris, non pudebit dicere. Eò te miseramus, ut bonis literis proficeres; quam tamen de te conceperamus opinionẽ, fefellisti. Semper enim perrectis (quod aiunt) dormivisti pedibus & in utramvis aurem, nec prima elementa didicisti. Si hoc feceris fiduciâ nostri, erras haud dubiè, non enim movebimur tuis infortuniis, vel si fleveris sanguinem. Vale.

Epistola CXXIX.

POllicebaris mihi mercedem amplissimam, si doctrinâ meâ ab ignorantia tenebris te educerem e non peperci labori, docui te quantâ maximâ potui diligentiâ, adeò ut jam praelectore non indigeas, possisq; (ut aiunt) nare sine cortice. Antea distuli mercedem meam reposcere, quòd fortuna tua videretur mihi exilis & modica: Nunc verò opes tua creverunt, omnia

tibi

tibi ſuppetunt ad votum, & virgula (quod fertur) divina. Quid igitur cauſa eſt, quamobrem non reponis beneficium? Arrogáſne tui unius virtuti, ſi quid in bonis literis profeceris? Iſta tua ingratitudo non adeò eſſet intoleranda, ſi quam rerum patereris penuriam: at (ut jam dixi) habes omnia ex animi ſententia, tu es velut bos apud acervum: metis citra arationem, citráque ſementem. Non ſatis apertè video, quonam modo culpæ patrocinari poſſis. Vale.

EPISTOLA CXXX.

NOn parum mihi diſplicuit, quòd herì in quodam convivio juvenareris verbis impudicis, creparéſque immunda & relatu turpiſſima. Sed tua iſta culpa non omnino caret veniâ: putabas enim fortaſſe id ab omnibus laudatum iri, quod à quibuſdam abjectiſſimis homunculis ciceríſq; & fractæ nucis emptoribus comprobatur. Diu ſatis deſipuiſti, meâ quidem ſententiâ: nunc tibi relinquendæ ſunt nuces. Sudabis fateor non parum, priuſquam priſcum illum vivendi modum dediceris: at ubi deſieris aliquandiu, nihil erit factu facilius. Vale.

EPISTOLA CXXXI.

MOnui te frequentiſſimè, ut relicto ſtudio poetico ad orationem ſolutam animum convertas: nam verſus tui, quot quot ſcribis, prodeunt invitâ (quod aiunt) Minervâ, & Muſis collacrymantibus. Nihil eſt penitus frugis, nihil quod vel tantillum famæ tibi comparet, quin potiùs facis te publicam & communem vulgi fabulam: adeò ut jam notiſſimus apud omnes

invaluerit rumor, te esse velut asinum ad lyrã. Multò prudentiùs ageres, si tuo te pede metireris, nihilq; non æquum viribus tuis assumeres. Vale.

Epistola CXXXII.

INsolentiam tuam satis ridere nequeo. Pater tuus parentésque omnes pauperrimi sunt, nudi tanquã ex matre (ut apertè nôsti) victum emendicant ostiatim, manum ad stipem porrigunt; paucis, non habent unde restim emant: Tu tamen loci natalis nullam penitus habens rationem, superbis non aliter, quàm si esses rex tragicus. Cui animi & capitis tui morbo quomodo possit occurri, non satis video. Cùm enim viri prudentes rerum tuarum volunt satagere, & suadere quod factu sit utile, aures occludis, perinde ac si per te satis saperes, essésque remotus ab omni vitio. Non adeò vitiis tuis offenderemur, si pauca essent: at tam multa flagitiorum species vitam tuam contaminant, ut nullus relinqui possit venia locus. Vale.

Epistola CXXXIII.

SEmper de te bene merui, sperans te aliquando fore frugi hominem, censorémq; omnium: at spes omnis futuræ in te probitatis omnino adempta est. Nam (ut audio) bonam juventutis partem stolidè contrivisti, dilapidâsti que universum patrimonium in alea, fritillis, & sphæristerio. Si essem liber laborum, qui me nunc circumstant, & opprimunt, ad te quàm citissimè convolarem, viâ ipsâ (ut cum Sidonio loquar) devoratâ, idque sum facturus, dum per occupationes licebit. Quòd si rem ità comperero, ut communis prædicat

dicat fama, ſcias animum meum fore multò remiſſiorem, ſegniúſque in tui amorem quàm priùs irritatum iri. Vale.

EPISTOLA CXXXIV.

CVm quid ſcripſiſti, ſoles me adhibere judicem tuis operibus: at dum ſuadeo ut ambitioſa rocidas ornamenta, reddáſque incudi quæ non bene ornata ſunt & polita: mavis defendere delictum, quàm invertere. Propterea ames te & tua ſine rivali, nullum enim verbum aſſumam ultrà. Quòd autem percontaris, quid hîc rerum agatur: Res creditu difficilis, & maximum riſum tibi excitatura, noviſſimis diebus aceidit. Lentulus, qui genialiter adeò & luxuriosè priùs vivebat, quique omnia prodigebat per luxum, nunc avarus uſque adeò factus eſt, ut inexplebilis ſit ejus cupiditas. Nunc quoniam non ſuppetit otium ſcribendi pluribus verbis; qui has ad te deferet literas, totum hominem ſuis coloribus graphicè depinget. Vale.

EPISTOLA CXXXV.

NOn parùm mihi diſplices; nec mihi tantùm, at his omnibus qui tecum aliquando verſati ſunt, quòd ſis adeò prodigus verborum, ac in tuam ipſius laudem propenſus & proclivis. Ante omnia peſſimè audis, & magno probro tibi vertitur, quòd palàm te prædices bellicoſum. Comminaris egregiè; verba tua nihil non Martis ſpirant; at ſi quis te aggrederetur, fugam protinus arriperes: totus animus tibi in pedes decideret. Quod qui nôrunt, temperare nequeunt à riſu, cùm audiunt has inanes de te gloriolas. Vale.

Epistola CXXXVI.

NOn satis scio, quâ causâ amicitiam contraxeris cum Cornelio Dolabella, aut unde frequens adeò familiaritas tibi cum perditissimo illo nebulone, & (quod aiunt) terræ intestino, intercesserit. Qui, ut apertè nôsti, & patrimonio, & gentilitiis hæreditatibus mulctatus est ob infinita flagitia, quibus ab ipsa jam tum infantia fuit innutritus. Corruptam adeò egit juventutem, ut sæpenumero ad subsellia judicũ pertractus esset, & in extremam stetisset fortunam, nisi pecuniâ se redemisset ab inquisitoribus. Ubi verò ad virilem pervenit ætatem, nihilo secundiore, imò verò deteriore famâ usus est. Unde nunc quoq; (ut planè vides) discedere è medio & (quanquam morbo quartano aggravante) per singulas noctes latebras commutare cogitur. Potuissem versari cum eo si libuisset: at semper ab ejus societate abstinui, licèt quotidianis ferè precibus invitarer. Vale.

Epistola CXXXVII.

QVòd è patria Lutetiã te contulisti, simul ad declinandam perditissimam quorundam nebulonũ invidiam, qui te oderant quiq; per jocum nonnunquã tibi comminabantur: partim, ut per otium & requiem Apollonio Miloni clarissimo dicendi magistro operam dares, factum tuum probo: Nihilominus velis nolis, redeas oportet. Nam res vestræ domesticæ pessimè se habent, & jam eunt pessum, nisi per te unum tantæ occurras calamitati. Turpissimum tibi esset in amicorum discrimen decidere, patris præsertim, cui fortunas tuas omneis ipsámque adeò vitam debes cum anima. Vale.

Epi-

EPISTOLA CXXXVIII.

FAmiliaris ille tuus Gellius mortalium avariſſimus dives eſt quidem, at ejus omnes divitiæ ex occulto fœnore creverunt, & rapinis. Ut paucis omnia complectar, eſt bipedum omnium nequiſſimus, quóſq; terra ſuſtinet ſceleratiſſimus, ut de Jugurtha ſcribit ille. Vſq; adeò tamen hominem ipſum diligis, ut in ejus verba jurâſſe videaris. Si velis aurem commodare culturæ, facilè te divertam & revocabo: at ſi omnia privata autoritate velis agere, ego te relinquam, & miſſum faciam, ut adoleſcentem perditum, & mihi deſperatum. Vale, & probè monentem ſequere.

EPISTOLA CXXXIX.

NIhil unquam tentavi aut molitus ſum, quin optimates & ditiſſimi quiq; frequentes & obſtinati confluxerint ad reſiſtendum mihi: nec unquam deſerunt prepedire quicquid, quod mihi eſſe voluptiferũ perſpexerint. Proinde conſtitui in reliquum tempus abſtinere curia. Nam etiam lites illæ forenſes macrũ me faciebant, & extenuabant penitus. Præterea, quid amplius optandum eſt mihi, cui jam contigit abundè, quod ad vivendum lautè ſatis eſt? Qui ſunt inexplebiles, & nullum ſuis votis finem præſcribunt, pauperrimi videntur, hiſq; multò infeliciores, qui victum emendicant. Vale.

EPISTOLA CXL.

SI fortuna ad animi votum mihi arriſiſſet, ab humili privatáq; conditione ad ampliſſimos honores potuiſſem pervenire. Nam populi multitudo ſemper mihi favit, & ad me confluxit ultrò, operam ſuam om-

ni in re promittens. Soli divites adversarios & oppugnatores se præstiterunt. Quorum decreto ut primùm comperi paratos esse, qui vi ac armis me corriperent, sententiâ mutatâ pro temporum conditione quieturus sum. Erat in manu mea terrorem maximum eis injicere: at si hoc feciſſem, incredibilis invidia me in posterum manſiſſet. Vale.

Epistola CXLI.

Cornelius, quocum tibi familiaris est & frequēs consuetudo, nuper tractus fuisset in carcerem, nisi sponsorum interventus se à creditoribus redemisset. Qui, ut eum eriperent, suas omneis fortunas, ipsā & adeò vitam cum tota supellectile voluerunt oppignorare. Herì tamen abiit per posticum furtim, & insalutato quidem hospite. Incertum metúne novi discriminis, an quò maturiùs subveniret imploranti patri, qui in repentinum quendam morbum fertur incidisse. Porro frater tuus apud omneis suspectus habetur cujusdam homicidii: propterea si cubi gentium tibi occurret, dic ei tacitè & in aurem, ut maturè sibi caveat. Nam si corripitur, nullis precibus, quamlibèt importunis, consequi poterit, ut legibus solvatur in homicidas constitutis. Dic salutem meo nomine nostratibus amicis: atque etiam si quâ ratione fieri possit, reconcilia me patri, mihi irato, quòd literis ejus cunctantius paulò responderim. Vale.

Epistola CXLII.

Omnia tibi contigerunt ex animi sententia: idq; adeò, ut nihil majus queam vovere. Unum est tamen

tamen in quo non uſq; quaq; mihi places, quòd interim excrucies teipſum. Si fomenta iſta curarum poſſes relinquere, viveres multò diutiùs. Nihil enim eſt, quod magis hominis vitam imminuat, quàm moleſtæ illæ animi ægritudines. Propterea da operam, ut medearis & occurras huic malo. Ante omnia cave, nè adeò immoriaris lucro, ut propterea nolis te quandoq; labori ſurripere. Nam nihil eſt in rerum natura, quod exemplo dierum ac noctium alternas vices feriarum quandoq; non deſideret. Vale.

EPISTOLA CXLIII.

ADmiror ingenium tuum, atque etiam plurimi facio paratam tuam in ſcribendo celeritatem, quòd priuſquam veſtigio pedem educas, multos ſub manu verſus evomas, inſtar illius Chryſippi, cujus meminit Valerius. Hoc tamen non eò valet, ut protinus eventilare debeas, quæ raptim adeò & tumultuariè componis. Nam quò quæq; res eſt acceleratior, eò minùs perfecta: contrà verò, qui lentiùs incrementum ſuſcipit, eò quoq; tardiùs deſinit. Saluta meo nomine Hermodotũ, eúmq; divertas, nè à ſcholaſtica vita ad aulicam ſe convertat. Principes iſti ſunt admodum liberales & prodigi verborum, ſuiſq; famulis montes & maria promittunt, ac verborum inducunt credulitatem. At ubi diu ſatis eorum operâ uſi ſunt, verba emittunt pro forma. Vale.

EPISTOLA CXLIV.

NOn parùm mihi diſplices; nec mihi tantùm, ſed omnibus etiam quibuſcum aliquando fuit tibi frequẽs & familiaris conſuetudo, quòd unumquemq;

ori-

crimineris, & palàm vituperes: cùm tamen hodie sceleratior te vivat nemo. Consultiùs multò & prudentiùs ageres, si tuam ipsius carperes vitam. Nam (ut in Salustium scribit Cicero) carere debet omni vitio, qui in alterum dicere est paratus. Fateor neminem esse mortalium, qui omnibus horis sapiat. Nihilominus intolerabile est, cùm quis pergit malè semper agere. Cæterùm scis quid in aurem tibi nuper dixerim. Laboras quodam vitio arcano, & paucis cognito: à quo nisi desuescas, tandem veniet in lucem. Veritas enim filia est temporis, & dies omnia revelat: Neque est quicquam tam arcanum, quin aliquando eventuletur, & è tenebris prodeat in apricum. Vale.

EPISTOLA CXLV.

ERam vegetis viribus & expedito corpore, priusquam ad perdiscendas literas animum appulissem, nihil penitus dolebat mihi: at nocturnæ lucubrationes usque adeò me attenuárunt & confecerunt, ut pedibus infirmis subsistere nequeam. Desinas ergò mirari, si ægrè & invitus ferè repeto ludum literarium. Nam quotiescunque illuc redeo, videre videor locum mœroris & tristitiæ plenum, & quandam (ut aiunt) Trophonii speluncam. Præterea, toto ferè triennio oleum & operam lusi. Nam dedi operam semitario cuidam & pœnitendo magistello, sub quo parum aut nihil omnino profeci: quod tamen negligentiæ meæ non est adscribendum, at potiùs ejus ignorantiæ. Erat enim planè rudis & illiteratus, nec unquam bonas literas nè à limine quidem salutaverat. Ut finiam, universam

verſam ejus doctrinam vitioſâ nuce non emerem. Vale.

EPISTOLA CXLVI.

MIrantur nonnulli, vitam ruſticam tantis à me commendari laudibus, & (quod aiunt) ad cœlum ferri: qui ſi cognoſcerent, quantum ſit in ea voluptatis, relictis urbibus vellent ruſticari. Vivo in primis convenienter naturæ: nihil eſt quod divellat mihi ſomnum: nihil quod ſtudium interpellet. Sed fac nobis ruſticis non multum eſſe divitiarum: quid indè? Num tamen propterea dammum certiùs aut propiùs medullis accipimus, quàm vel maximè nummati? Vos urbani, & qui ſervitis divitibus, genialiter quidem & lautè vivitis: at caretis libertate, quam omnibus Arabum divitiis longè præpono: perpetuam ſervitis ſervitutem: vobis obſervandum eſt quid domini digito crepent. Si vobiſcum immaniter & centauricè loquantur, ſurdis auribus perferendæ ſunt omnes contumeliæ, nec licet hiſcere præ metu. Nolim te incaſtigatum relinquere: nam videris mihi attentior ad rem quàm ſatis eſt. Quod autem dicis, me quibuſdã ridiculum eſſe, & contemptibilem ob meam iſtam penuriam & paupertatem, non verterim manum. Si percontaris, ut valeo, ſunt læta omnia, excepto quòd durum eſt mihi, tamdiu carere fructu jucundiſſimæ tuæ conſuetudinis. Vale.

EPISTOLA CXLVII.

OPeram meam, ipſámque adeò pecuniam tibi puero gratuitam ſemper contuli, nec minore

ſtudio

ſtudio adultum proſecutus ſum. Non memini me unquam abrogâſſe tuis mandatis. Si quid in me beneficii contuleris, abundè, aut etiam cum fœnore repende. Propterea finem facias tuis calumniis, neq; pergas me fraudulentum & impoſtorem dicere. Nemo eſt omnium, qui non fateatur me hominem apertum, ſine fuco, & extra omnem doli ſuſpicionem. Et ſi facultas mea ſufficeret ad ſublevandam & reſarciendam iſtam tuam penuriam, faceres adhuc periculum manifeſtius amoris erga te mei: at paupertas tua major eſt multò quàm quæ opibus meis ſublevari poſſit. Æqui bonique conſulas hæc mea verba: nam aliorſum tendunt, quàm ut bilem & ſtomachum tibi moveant. Vale.

EPISTOLA CXLVIII.

FAlleris plurimùm, ſi quid expectas gloriæ ex opere quod in lucem nuper edidiſti: nam præter plurima (quæ deprehenduntur paſſim) errata, peccâſti in ipſo quoque operis ingreſſu, & inſulsè adeò, ut nullus pateat excuſationi locus. Fefelliſti plurimùm quam de te ceperant omnes expectationem. Publicus erat rumor, te jam in literis abundè promoviſſe, at res longè aliter ſe habet, ut video. Si animus tuus aſpirat ad divitias, te oportet conſultiùs rerum tuarum ſatagere. Hâc enim viâ non pervenitur ad honores & magiſtratus. Si me audis, diſſuesce ab antiqua illa morum conſuetudine. Vale.

EPI-

EPISTOLA CXLIX.

CVm culpæ impunitas, & liberior peccandi licentia, atque etiam levitas pœnæ augere ſoleant vitia; non conſtitui in delictis veſtris connivere. Si boni eritis, amabo vos unicè, nulli rei magis ſtudeo, quàm utilitati veſtræ: & quamdiu pecuniæ mihi ſuppetent, non permittam vobis deeſſe quicquam. Contrà verò, ſi poſthabitâ virtute divertatis ad corruptiſſimos mores, & degeneretis à parentibus, quorũ inculpatiſſima fuit vita, augebo pœnas facinorum: tantùm abeſt ut eas imminuere velim. Si deſideretis proficere in ſchola mea, fores apertæ ſunt. Nullum penitus laborem detrecto, dummodo videam vos benevolos, & animo in me propenſo. Vt ſpero non pigebit vos meæ doctrinæ: nam (quod de Iſocrate fertur) innumeri linguæ Latinæ principes ex meo ludo literario, tanquam ex equo Troiano, prodierunt. Nemo veſtrûm propter adultam jam ætatem debet erubeſcere, quò minùs proficiat. Nam & Cato jam octogenarius operam dedit literis Græcis. Et parens eloquentiæ Cicero poſt ampliſſimos in Republica magiſtratus, adhuc ſe dedit recoquendum Apollonio Moloni, clariſſimo tunc dicendi magiſtro. Valete.

Ad

Ad Lectorem.

HAbes, candidiſſime Lector, Textoris, viri perpaucorum hominum, aliquot epiſtolas non vulgaris eruditionis. Quem ſi fata diutiùs nobis ſervâſſent incolumem, auſim vel invidiâ teſte, aut Momo judice contendere, cæteros omnes noſtræ tempeſtatis homines multis fuiſſe paraſangis præceſſurum, multíſque præcurſurum ſtadiis. Sed quid facias? ſic unumquemque ſua manent fata. Stat Parcarum conſtans ordo & inariabilis. Supereſt, Lector optime, ut mortuo, ſeu potiùs è morte ad vitam vocato bene preceris, mortuum petulantiſſimâ non inſecteris linguâ, ſi vetat honeſtas juxta & pietas mortuum lædere.

TETRASTICHON AD eundem pium Lectorem.

Quid tantis luges lacrymis, cur impia clamas
Numina? Textorem ſic periſſe putas?
Num periit, clauſâ quem condunt ſydera ſorte?
Deſine; Textoris molliter oſſa cubant.

FINIS.

BRITISH MUSEUM 15 72 MAY

viri
las
di-
iâ
nes
gis
ed
tat
ft,
vi-
nâ
e-

And so [illegible]

Gustavus

Robert Shirley

Robert Shirley

Sord

Lord

Sandeen

[illegible]